BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 I
M29

mbrosiani Monasterii S. Gravedi Rom.

14-10. A. 20

D. Iacobi Benij

DE AMORE ET CONCORDIA FRATERNA.

OPVSCVLVM SANE AVREVM, ac ſingulis familijs perneceſſarium: in quo cauſæ diſcordiæ fraternæ numerantur, & ad eas remouendas, concordiamq; inter fratres conſeruandam oportuna remedia traduntur, ac diſcordiæ incommoda, & pacis vtilitates laudeſque demonſtrantur.

Auctore LVDOVICO CARBONE a Coſtaciario, Sacra Theologia in Almo Gymnaſio Peruſino publico profeſſore.

NVNC RECENS AB IPSO auctore emendatum, & auctum.

EDITIO ALTERA.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VENETIIS,

Apud hæredes Troiani Naui. 1586.

Caritas Fraternitatis maneat in vobis. Ad Hebr. 13.

LVDOVICVS CARBO

Fratribus congregationis B. Mariæ Annuntiatæ in collegio Romano ſocietatis IESV,

Et Academicis Parthenijs. S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM. ROMA

SCRIPSERAM cariſſimi in Chriſto fratres, de pacificatione inimicorum neſcio quædam ruditer, exercitationis cauſa: de quorum editione, cum optime intelligerem eiuſmodi non eſſe, quæ in lucem publicam venire mererentur, cogitabam nihil. Sed ecce, quod non ſine diuina ratione accidiſſe puto, eis, non dum expolitis & limatis, prodeundum erat. Quo tempore,

cum de Joanne Paulo Lancelotto viro doctiſſimo, ac rerum humanarum peritiſſimo didiciſſem, nihil difficilius eſſe, quam fratres inter ſe diſcordes pacificare; de concordia & amore fraterno, præter ea, quæ de pacificatione inimicorum vniuerſe ſcripſeram, tanti viri auctoritate motus, aliquid ſcribere decreui. Rem igitur aggreſſus; licet innumeris eſſem præpeditus curis, tamen paucis diebus, opuſculum de re propoſita confeci. Poſtea, cum cogitarem cui nam lucubratiunculam hanc potiſſimum nuncuparem; cogitatio exoritur quædam, quæ hunc in modum alloquebatur me. Cui congruentius tractationem de amore & concordia fraterna, quam fratribus ſuis nuncupabit frater? Cui tu poteris prudentius hoc tuum munuſculum largiri, quam ijs, quos tu fraterne amas, teq; fraterno proſequun-

ſequuntur amore? Cui iuſtius, de amore fraterno dicari tractatio poteſt, quam ijs, qui fraterni amoris exemplo, ad fratres amandos omnis generis fratres excitare conantur? Quis, deinde aiebat, ab inſultibus improborum fratrum de amore fraterno ſcripta melius tuebitur tua, quam Academia tua, & fratres tui omni genere doctrinæ munitiſſimi? Suggerebat tandem, & illud: quidquid a me proficiſci poſſet, hæreditario quodam iure, iure deberi vobis. Acquieui, vt debui, cogitationi huic. Omni igitur fraterni amoris ſtudio, vobis cariſſimi in Chriſto fratres, & Academici doctiſſimi, quidquid hoc eſt, quod certe leue eſt, offero, & nuncupo. Nec vobis propterea hoc opuſculum minus gratum eſſe debebit, quod in eo tantum de amore & concordia eorum fratrum diſputem, qui natura

ſolum fratres exiſtunt; quoniam, quæ in hoc libello de hoc amoris genere diſputantur, ad omnem amorem fraternum retinendum, & augendum conducere maxime poßunt. Et licet, quod omnino exploratum habeo, vos qui ſanctè fraternum amorem colitis, meis non egeatis monitis; tamen, hinc rationes depromere licebit vobis, quibus fratres eos pacificare poſſitis, quorum amorem, vos mutuo amando, imitari conamini. Quod ſi hoc meum ſtudium vobis, vt ſpero, gratum accidiße intellexero, operam dabo, vt intra paucos menſes, opus de ſui cognitione, ſiue de nouo & interiore homine, in veſtram fideliumque vtilitatem in lucem veniat. Valete, & pro me preces ad beatam Virginem continenter facite.

LVDOVICVS CARBO Academiæ Partheniæ.

Nata patris, mater nati, cape munera cari:
Rem tueare precor, nata; parenſq; tuam.

Academia Parthenia.

Nata patris capio gratiſſima munera cari:
Vt tuear nati munera, mater ero.

Aliter.

Nata patris capio, mihi munera cara tuebor
Ipſa eadem nati pignora tanta parens.

Aliter.

Nata libens capio mihi munera cara parentis
Vtq; eadem tuear, ſedula mater ero.

Aliter.

Acceptū tueor patrij haud leue pignus amoris
Id tibi materni pignus amoris erit.

CAPITA OPVSCVLI De Amore & concordia fraterna.

DE ſuſcepti operis ratione, vtilitate, & partitione. Cap. 1. 1
De magnitudine & præſtantia amoris fraterni. Cap. 2. 5
Cur inter fratres oriantur diſcordiæ, & cur grauiores eſſe ſoleant. Cap. 3. 10
De diſcordia quæ naſcitur ex inæqualitate bonorum naturalium. Cap. 4. 13
De diſcordia, quæ naſcitur ex inuidia bonorum ſpiritualium. Cap. 5. 17
De diſcordia quæ naſcitur ex inuidentia bonorum animi & fortunæ. Cap. 6. 21
Traduntur duo oportuna remedia ad tollendam diſcordiam, quæ ex quacunque naſcitur inæqualitate. Cap. 7. 25
Quo modo excellens & ſuperior frater inferiorem fratrem tractare debeat. Cap. 8. 28
Comprimitur ſuperbia fratris excellentis, & deſpicientis fratrem. Cap. 9. 32
Fratrem aliquo corporis vitio laborantem, non eſſe deſpiciendum. Cap. 10. 35
De diſcordia quæ naſcitur ex inæqualitate amoris parentum. Cap. 11. 38
De cauſa diſcordiæ, quæ oritur vitio aſſentatorum, & ſuſurronum. Cap. 12. 38
Matres debere alere ſuos filios, ne fratres euadant moribus diſſimiles. Cap. 13. 44
Demonſtratur conferre ad concordiam fraternam

nam conſeruandā ſi fratres ſimul vixerint. Cap. 14. 47
De modo ſeruando in patrimonij diuiſione, ne qua inter diuidendum oriatur diſcordia. Cap. 15. 51
Quomodo malus frater ſit ferendus. Cap. 16. 56
Demonſtratur quam turpe ſit odium fraternum. Cap. 17. 64
De cauſis ob quas fratres deberent inter ſe multum diligere. Cap. 18. 69
De vtilitate concordiæ fraternæ. Cap. 19. 74
De pręceptis quibuſdam ad conſeruandum amorem, & ad tollendam diſcordiam fraternam. Cap. 20. 78
An fratres debeant iiſdem, an vero diuerſis delectari ſtudijs. Cap. 21. 84
De correctione fraterna. Cap. 22. 87
De vxore a fratre ducenda, & de filiorum fratris educatione. Cap. 23. 90
De præſtantia officij pacificatorij. Cap. 24. 93
Turpe eſſe diſſeminare diſcordias, et de vituperatione & damnis diſcordiæ. Cap. 25. 101
Hortatio ad pacem & concordiam, & de earūdem laudibus & vtilitatibus. Cap. 26. 111

INDEX

INDEX AVCTORVM, QVI IN hoc opuſculo citantur.

Ægidius Roman.
Aeſchilus.
Aeſopus.
Agapetus.
Alcuinus.
Angelus Politianus.
Antiſthenes.
Auraſicanum Conc.
Arianus.
Ariſtoteles.
Ariſtoymus.
Aulus Gellius.
Auſonius.
Bacchillides.
S. Baſilius.
S. Bernardus.
Berchorius.
Bion.
Boetius.
S. Bonauentura.
Bracharius.
Calentius.
Calphurnius
Campanus.
Catullus.
Celius Calcag.
Chilon.
S. Chryſoſtomus.
Chryſoſtomus Iauel.
Cicero.
Clemens Alexandrin.
Columella.
Cyrus Promus.
Damaſus Papa.
Dauid.
Demetrius.
Didacus Vallades.
Dionyſius Carthus.
Dionyſius Lambinus.
Diogenes Laertius.
Dominicus a pace.
Egeſippus.
Eligius.
Empedocles.
Ennodius.
Epictetus.
Epicarmus.
Eucherius.
Euſebius Cæſarienſ.
Fabius pictor.
Fabius Quintil.
Franciſcus Petrarcha.
Franciſcus Patritius.
Fridericus Nauſe.
Fulgentius.
Galenus.

Gemiſtius.	*S. Leo Papa.*
Gillebertus.	*Leontius.*
Gratianus.	*S. Lucas.*
Gregorius Nazian.	*Lucanus.*
Gregorius Nyſſen.	*Ludouicus Viues.*
Guido Bituricen.	*M. Ant. Imperator.*
Guiliel. Peral.	*M. Ant. Muretus*
Henricus Harphius.	*M. Ant. Flammin.*
Herodianus.	*Manilius*
Herodotus.	*Marius Victorinus.*
Heſiodus.	*Martialis.*
Hilarius.	*Martinus Dumẽs. epiſ.*
Hieronymus.	*Marullus.*
Hierocles.	*S. Matthæus.*
Homerus.	*Maximus Tyrius.*
Horatius.	*Menander.*
Hyppon.	*Mileuitanum Conc.*
Ignatius.	*Moyſes.*
Innocentius Papa.	*Muſonius.*
S. Ioannes.	*Nicephorus.*
Ioannes Picus.	*Nicolaus Cuſan.*
Ioannes Salebrien.	*Nicolaus Hanapus.*
Iob	*Opuſculum tripar.*
Ioſeph Patriarcha	*Oreſieſis.*
Ireneus.	*Origenes.*
Iſaias.	*Ouidius*
Iſychius.	*Pacuuius*
Iſocrates.	*S. Paulus.*
Iulius Scalig.	*Paulus Oroſius.*
Iuſtinus.	*Paulus Burgen.*
Iuuenalis.	*Pauſanias.*

Pe-

Periander.
Petronius arbiter.
Petrus Bizar.
Philon Hebræus.
Philemon.
Phocillides.
Pindarus.
Pittacus.
Plato.
Plautus.
Plotinus.
Plutarchus.
Policarpus.
Pollux.
Porphyrius.
Porphyrio.
Procul. Conſtãt.epis.
S.Proſper.
Pythagoras.
Q.Curtius.
Quintil. Mandos.
Richardus de S.Vict.
Romulus Amas.
Sabellicus.
Salomon.
Sanazarus.
Saxo grammaticus.
Sedulius.
Seneca.
Simon de Caſſia.
Sixtus Papa.
Sotion.
Stephanus Niger.
Stephanus Gaz.
Stobęus.
Stunica.
Suetonius.
Syneſius.
Tertulianus.
Theognis.
Theodoretus.
Theophraſtus.
Tibullus.
Timocles.
Tiraquellus.
Titus Liuius.
Tobias.
Triſmegiſtus.
Tripartita hiſtoria.
Valerius maximus.
Virgilius.
Xenophon.
Zoroaſtres.

MVTII SFORTIAE EPIGRAMMA

Super opuſculo Ludouici Carbonis de Amore, & Concordia fraterna.

SIC ſanctam Pacem, & fraternum pinxit Amorem
Hic CARBO, inſectans bella, furenſque odium.
Vt velut ad ſeſe quam Zeuxis pinxerat vuam.
Deceptas ſpecie ſollicitabat aues.
Non aliter proprijs animata coloribus iſta
Ad ſeſe cunctos allicit, atque monet,
Quod Regis Superum Nati uocitentur amantes
Ipſius, at cui ſunt corde inimicitiæ,
Eſt Plutone ſatus, qui hic pœnas ſentit Auerni,
Eius vt hic cœli gaudia libat amans.

Aliud eiuſdem.

Raptus ab altari ceu calculus igneus ille
Forcipe quem alipotens flammeus ille tulit,
Magni mundauit uatis polluta labella;
Non ſecus æthereo tu quoq; ab igne micans,
Lumineque accenſus doctrinæ, CARBO, ſuperna
Flamma vris, purgas qui tua ſcripta legunt.

IOAN.

IOAN. BAPT. SARAPHINELLI VENETI.

CVM nihil in mundo perfecto præſtet amori,
Nec ſit fraterno dignior vllus amor,
Cãdide quid, lector, libro præſtãtius iſto,
Qui docet vt præſtans is foueatur amor?

PHILIPPI TINELLI VENETI.

DVM pietas extincta iacet fraterna per orbem,
Nec fratres inter cernitur vllus amor;
Ecce tibi Carbo cælo delapſus ab alto,
Vrit qui noſtrum pectus amore pio.
Excipite hunc fratres Carbonem; & munere tanto
Læti, iam veſtris condite pectoribus.
Vt vos incenſi, omnes inflammetis amore;
Veſter nam forma eſt omnis amoris, amor.

ALEXANDER SYNGLITICVS CYPRIVS,

In Ludouici Carbonis opuſculum, de amore & concordia fraterna.

FIRMO quam nexu, ſtabili, quam dedala lege,
O natura ſinu cuncta elementa foues:
Ordine perpetuo, ſpecioſi, vt tuta cohæret
Compages mundi legibus arcta tuis:
Vt librata ſuo, ſtat conſtans, pondere terra:
Vtque ſuas repetunt ſydera celſa vices:
Vtq; hominum conſtant cætus, tot Regna, tot vrbes
Pax & amor terris dum ſua ſceptra tenent:
At pertæſa ſemel dulcis concordia, molli
Protinus vt gremio ceſſerit ipſa tuo:
Mox legeſque tuæ, tuus & ſanctiſſimus ordo,
Quæque fuere prius pulchra, ſoluta cadent,
Denique quaſſa ruet mundi hæc diſcordia concors.
Deſinet inque chaos, quod fuit ante chaos.
Omnia, tu tantum, fraterni fœdera amoris,
Pone hominum penitus deſeruiſſe lares.
Iam deſolatæ lugent mortalibus vrbes:
Iam vitæ humanæ corruit omne decus:

In-

In pecudes vertunt ſe homines, & more ferarum
Montibus & ſyluis horrida luſtra petunt.
Nil igitur melius, nil orbi ſanctius, unquàm
Carbonis potuit docta Camœna dare;
Quam docte ornare, & muſa celebrare perenni
Sanctum fraternæ fœdus amicitiæ:
Hanc, dius vates, & fratres laudibus effert,
Quos eadem unanimes tecta puſilla tenent.
Promeritas igitur laudes referamus, & ipſam,
Quæ fraterna venit gratia, Carbo, tibi.
Vlla hominum fraternus amor dum pectora tanget
Dignus fraterno ſemper amore coli.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Primus numerus paginam, alter verſiculum indicat, Ponuntur ſolum verba emendata. Pag. 6. 23. indicauit. 20. 20. ſed etiam. 43. 17. quas. 45. 1. parentibus. 62. 23. quod eam. 77. 20. natura. 82. 18 is qui 95. 3. poſteriorem. 103. 25. ſed etiam. 106. 25. præceptum eius. 110. 10. fortes 118. in quibuſdam folijs. 30. rapinas 119. in qubuſdam folijs. 7. ſana. 122. 1. ventorum. 125. 22. profitentur.

DE AMORE ET CONCORDIA FRATERNA.

Auctore LVDOVICO Carbone a Coſtaciario, Sacræ Theologiæ in Almo Gymnaſio Peruſino publico profeſſore.

De ſuſcepti operis ratione, utilitate, & partitione. Cap. I.

QVEMADMODVM omnis humana ſocietas, quę pace atque cõcordia continetur, cœleſtis patriæ imaginem quandam repræſentat: ſic etiã cõſociatio quęuis, in qua diſcordia viget, infernæ Babylonis ſimilitudinem quandam refert. Quo fit, vt perennis ille humani generis hoſtis nuſquam accuratius, quam in ſpargendis fouendiſque vbique diſcordię ſeminibus elaboret; vt & cœleſtis ciuitatis ima

Concordia imago cęleſtis patriæ.

Dæmon diſcordiæ auctor.

Irene lib. 5. Iuſt. apol. ad Anton.

ginem e mundo aboleat, & ſuæ Babylonis ſimilitudinem effingat. Fuit enim ſemper dęmon Dei æmulus, & diuinorum operum, pro viribus, euerſor. Ex quibus conficitur, nihil magis Chriſtianum hominem, qui diabolo eiuſque operibus renunciauit, & illius feliciſſimæ vrbis ciuis eſt effectus, decere, quam in ſe & alijs, quantum fieri poteſt, conſeruare concordiam, maximeque fraternam, cum

Tert. de cor. mil.

Chriſtianus, & frater, Tertuliano auctore, ſint idem prorſus. Cum autem experientia conſtet maximam earum, quæ in rep. humana ſunt perturbationum partē ex diſcordijs

Fraternæ diſcordiæ perturbant rép.

promanare fraternis, & nihil eſſe, vt dicetur poſtea, quod æque rem domeſticam & publicam euertat, ac fraternæ inimicitiæ, quæ paſſim in qualibet ciuitate, oppido, & domo naſcuntur & continenter exercentur; volui, au-

Propoſitum auctoris.

xiliante Deo, in eius gloriā & proximi vtilitatem, pręter ea, quę de pace cōſeruanda vniuerſe libro de pacificatione ſcripſi, quædam de concordia inter fratres retinenda, diſcordiaque tollēda ſpeciatim ſcribere; vt quoquo poſſum modo, iterum communi vtilitati conſulendo, Chriſtiani hominis partes agā. Qua in re, ſi me præclare geſſero, ſi quod propoſitum habeo aſſequutus fuero, ſegetem diſcor-

Vtilitas operis.

diarum maximam a ſocietate humana reuellam: tum quod grauiſsimæ eſſe & ad multos promanare diſcordiæ fraternæ ſoleant; tum etiam, quod, quæ de fratrum beneuolentia

&

& diſcordia diſputata fuerint, ad alias ſimultates tollendas, & ad alios amores, qui fraternum, vt paulo poſt dicetur, imitari conantur, retinendos, facile traduci poterunt. Ex quibus iam cuique conijcere fas eſt, quid vtilitatis hæc noſtra tractatio ſit allatura: quoniam ex ea præcepta, non ſolum ad fraternam concordiam retinendam, ſed etiam ad omnem humanam ſocietatem conſeruandam, & augendam colligere licebit. Spero itaque rem Deo acceptam, & hominibus vtilem me facturum, cum de concordia inter fratres conſeruanda ſcribere aggredior: quoniam fratrum concordia inter ea, quæ coram Deo & hominibus probata ſunt, in ſacris literis numeratur. Eccl.25. Fateor quidem me materiam explicatu difficilem, & viribus meis imparem ſuſcepiſſe, quandoquidem eruditionem variam & nõ vulgarem requirit, & viri bene docti alias eam pertractarunt; quos non modo ſuperare, ſed & aſſequi eſt perdifficile. Hierocles. Plutarchus. Stephanus Niger. An autem aliquo modo rem hanc illuſtrauerim, & an aliquid vtilitatis coniunctioni fraternæ attulerim, aliorum eſto iudicium. Mihi vero illud ſatis erit, voluiſſe prodeſſe indicaſſe, & amicorum hortationibus ad hanc prouinciam ſuſcipiendam me impellentibus, vt potui, ſatisfeciſſe. Et licet hoc argumentum eiuſmodi ſit, in quo latiſsime calamus excurrere poſſet: tamen, data opera, multa breuiter perſtringam, &

ſolum ea, quæ proxime ad rem facere vide-buntur attingam: & ſępe tantummodo locos indicabo, quos eloquens Concionator, & is, qui de fraterno amore diſputare voluerit, amplificare poterit. Tota autem tractatio his capitibus continebitur. Demonſtrabitur, priore loco amoris & diſcordiæ fraternæ magnitudo. Deinde cauſæ efficaciores, & frequentiores diſsidij fraterni numerabuntur, ac remedia adhibebuntur. Ad hæc diſſenſionis huius turpitudo ob oculos fratrũ ponetur. Cauſæ & rationes, cur fratres ſe amare debeant, indicabuntur. Poſt hæc præcepta quædam ad amorem fraternum conciliandum, & retinendum multum accommodata tradentur. Et vt homines ad pacem, & concordiam amandam & conſeruandam magis excitentur, de præſtantia muneris pacificatorij, de turpitudine & incommodis diſcordiæ, & de pacis vtilitatibus laudibusq; diſputabuntur aliqua.

Partitio.

Partem vero vtilitatis, ſi quam tamen vtilitatem attulero, Ioanni Paulo Lancelotto Iu. Vtr. conſultiſsimo, fratres acceptam referãt. Ipſe nanq;, quippe qui longo rerum vſu quantum fratrum diſſenſiones priuatam ac publicam rem perturbẽt plane nouit, hoc mihi argumentum dedit, ad idque tractandum me ſępe eſt cohortatus. Sunt enim optimi viri partes non ſolum communi bono per ſe, vt ipſe præclariſsimis litterarum monumentis fecit, ſed etiam per alios conſulere. Quare, mirum

Ioan. Paulus Lancelottus laudatus.

non

non eſt, ſi ad hanc tractationem conficiendam, quam admodum vtilem ſingulis familijs fore exiſtimauit, is me incitauit, qui de alienis, & publicis vtilitatibus ſolicitus extitit ſemper. Et, vt de me dicam, ita commoditati, honorique meo nonnunquam conſuluit, vt cum Lyrico poeta dicere poſsim, ac debeam. Horat.

O, & præſidium, & dulce decus meum? Proſper Podianus.

Iuuit etiam me non parum ad hoc opus conficiendum Domini Proſperi Podiani Peruſini ſingularis beneficentia, ac in ſtudioſos homines ſtudioſa voluntas, qui ex ſua munitiſsima bibliotheca, quam ſibi, & amicis, & ſi ei dabitur, quod vehementer deſiderat, ſuę ciuitati, libris vndique de omni ſcientiarum genere conquiſitis, parauit, varios quos legerem auctores commodauit. Propoſiti itaq; ſententia, vtilitate, & partitione huius opuſculi expoſitis, ad rem ipſam tractandam accedamus.

De magnitudine & præſtantia amoris fraterni. Cap. II.

QVANTA ſit amoris fraterni magnitudo atq; pręſtantia ex eo haud obſcure perſpicitur, quod homines, cum quempiam ſe multũ diligere, aut a quopiã ſe valde diligi ſignifi- Amoris fraterni magnitudo.

care volunt, eũ tanquã fratrem amare, aut ab eodem amari, apud omnes nationes dicere conſueuerunt. Quaſi, ab hoc amore ſi diſceſſerint, nullum eis maiorem reperire liceat. Etenim ad imaginẽ amoris huius cæteri amores ſe effingere conantur: vt amorem fraternum, quaſi ideam omnis beneuolentiæ, quæ inter æquales exiſtit, appellare poſsis. Hinc eſt, vt ad amoris huius ſignificationem & imitationem, non ſolum qui ex eodem vtero naſcuntur, ſed etiam, qui ex eadem ſunt familia, qui ſe aliquo attingunt affinitatis gradu, qui ex eadem ſunt ſocietate, qui eiuſdẽ ſunt religionis, immo & filij etiam ipſi, fratres appellantur. Et in prima Eccleſia ad ſignificandam illam ſummam caritatem, qua illi perfecti homines inter ſe complectebantur, idem erat chriſtianus, & frater: vt qui fratrem diceret, chriſtianum diceret: quod ex multis ſcriptorum monumentis apertiſsime cõſtat, & ex ipſa ſcriptura clariſsime colligitur. Et, vt cetera omittam loca, hoc aperte epiſtola priore ad Corinthios capite ſeptimo iudicauit Paulus, quo loco ſic ſcribit: Si quis frater, hoc eſt chriſtianus, vxorem habet infidelem: & infra: Vnuſquiſque ergo, in quo vocatus eſt frater, in hoc permaneat apud Deum. Quare caritatem illam inſignem fraternam, & chriſtianorum conſociationem, ἀδελφότητα, hoc eſt, fraternitatem, appellarunt. De qua caritate ſic ſcribit Arnobius.

Sic

Fraterna beneuolentia, omnis beneuolẽtiæ idea. Fratris nomẽ varie vſurpatum. Fridericus Nauſ. ho. 74. Berch. ver. frater. Albin. in geneſ. Aug. lib. 1. de ſer. domini cap. 43. Euſeb. libr. 3. hiſt. c. 3. Niceph. lib. 1. cap. 3. Clem. Alex. lib. 5. Strom. Henr. Maur. par. 1. c. 18. Paul. Burg. in ſcrutin. Proclus conſt. epiſcopus lib. de diuinitate filij.

Sic mutuo, quod doletis (loquebatur cum gentibus) diligimus, quoniam odiſſe non nouimus; ſic nos, quod videtis, fratres vocamus, vt vnius parentis Dei homines. Et Apoſtolus cum ad maximam quandam caritatem Hebræos hortari vellet, dixit: Caritas fraternitatis, hoc eſt, caritas fraterna maneat in vobis. Ad hæc, cum Chriſtus dominus magnitudinē amoris, quo ſuos diligebat exprimere voluit, eos fratres appellauit. Nūtiabo nomē tuum fratribus meis. Cuius amoris magnitudinem ſenſit ille, qui hunc in modum ſcripſit. Non me capio prælætitia, quod ſumma maieſtas naturam ſuam, & naturā meam ſublenat, & me miſerum in diuinitatis gloriȩ ſuæ nō ad horam, ſed in ſempiternum includit, & fit frater meus, dominus meus. Et quæ vnquam fuit ætas, quæ eos, qui licet non eiſdē orti eſſent parentibus, tamen quod fraterna beneuolētia ſe mutuo dilexerunt, non ſit admirata, & ſummis etiam laudibus proſequuta? Lȩlios inquam & Scipiones, Achilles & Patroclos, Oreſtes & Pylades, Epaminondas & Pelopidas, Theſeos & Perithoos, Dauides & Ionathas. Merito igitur qui aliqua inſigni beneuolentia quempiam proſequitur, aut ab aliquo ſingulari amore amatur, frater, hoc eſt fere alter, aut alter ipſe, qualis eſt verus amicus, appellatur. Et apud Græcos, omiſſa ea quæ eſt apud Pollucem etymologia, ἀδελφὸς, adelphos, vt vertit Cicero, idem eſt, quod ſimilis,

Hebr. 13.
Pſal. 21.
Hebr. 2.
Henricus Arph.
Qui inter ſe vehementer amauerint.
Aulus Gel. li. 13. cap. 10.
Fratris etymol.

Pollux. Plat. in Phęd. Prouerbium.

milis, & congruens. Similia autem & congruentia, naturæ propenſione maxime ſe amant, & vniuntur; &, vt eſt in prouerbio, ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, hoc eſt, Simile ſimili amicũ. Cum autem vni homini nihil poſsit eſſe magis ſimile, quam frater, quando cum eo maiores, parentes, ortum, educationem, ſtudia, patrimonium, familiam, & alia permulta habet communia, amorem fraternum maximũ eſſe, fateri neceſſe eſt. Vt merito Saluſtius in hanc admirationem proruperit, Quis eſt amicior, quam frater fratri? Indicat etiam amoris fraterni magnitudinem illa hominum conſuetudo, qua ij, qui non ex eodem nati ſunt vtero, cum tamen ſe fraterne ament, quantum fieri poteſt, non ſolum mutuo & arctiſsimo amore fraternam caritatem imitari, ſed etiam iuramento & ſanguine ipſo fraternitatem effingere conantur. Inſuper, poſtquam illa prima chriſtianorum caritas refrixit, qui in aliqua ſocietate, aut religione adſcripti ſunt, vt maiorem quandam caritatem, qua ſe mutuo amare profitentur, exprimant, fratres ſe nominant, hac vnica appellatione gaudent, hac ſe ab alijs ſecernunt, & ipſas quoque ſocietates confraternitates appellant. Iam vero, cum naturæ vis ſit maxima, cur non erit maximus amor ille, quem natura conciliat? quem tot amandi perpetuæ rationes confirmant? quem ſtudia tam multa poſtea ſtabiliunt? Magnus eſt coniugatorum

Saluſtius in Iugur.

Fratres ſanguine.

Ber. ſer. 44. in cant.

torum amor, ſed extrinſecus adſcitus: maxima parentum erga filios caritas, ſed ob diſsimilitudinem & inęqualitatem iſta amoris magnitudo non eſt reciproca. Vbi autem in amore reciprocatio deſideratur, multum vigoris amittit beneuolentia, languet & extenuatur caritas. Cum autem in amore fraterno adſit æqualitas, & mater amoris reperiatur, ſimilitudo; non male quis dixerit, ſi fratrum beneuolentiam inter alios amores primum locum obtinere dixerit. Et denique, quænam vox eſt, quæ tam ſuauiter ore pronuntietur, tam grate auribus excipiatur, tam frequenter inter beneuolos & ſumma caritate coniunctos repetatur, quam hæc iucundiſsima uox, FRATER? Hinc eſt, quod cum quempiam quadam ſuauitudine, & affabilitate, & vt ita dixerim, ſuauicule, & mellitule appellare volumus, ſtatim in hanc vocem relabimur, Frater. O dulce fratris nomen? O fraterna caritas? Te omnis amor inſignis, omnis beneuolentia grauis, omne arctioris coniunctionis vinculum imitari conatur, a te appellationem mutuatur, ad tuam effigiẽ religione, iuramento, & ſanguine ętiam ipſo effingere connititur. Hanc dulcedinem amoris huius ſentiebat poeta ille, qui ſic exclamauit:

Aristot. / Fratrum beneuolentia primum locũ obtinet inter alios amores. / Vox, frater, ſuauis. / Amoris fraterni encomium.

Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ἐστὶν ὁμονοίας ἔρως? Menander.

Hoc eſt.

O quam ſuauis inter fratres cõcordes amor?

Quam

Quam ob rem, cum nullus ſit tam magnus amor, qui fraternum amorem non æmuletur, nulla tam magna beuolentia, quæ nō affectet fraterna vocari, nullum denique caritatis vinculum, quod nolit nominari fraternum, maximum quid profecto fraternus amor exiſtet. Nec deſunt illuſtria beneuolentiæ fraternæ exempla, veluti Ioſephi, Moyſis, Titi Veſpaſiani, Proculei, & aliorum, quibus magnitudo amoris huius apertiſsime demōſtrari poſſet; ſed ea in alium magis oportunum locum reijcio, vbi de cauſis, ob quas fratres ſe mutuo amare debent, agetur: ex quo etiam loco rationes multæ ad laudes amoris huius latius explicandas ſumi poterũt. Demonſtrata itaque amoris fraterni magnitudine, mox ſemper, qui hunc amorem violauerint extitiſſe, & diſcordias inter fratres ſemper viguiſſe, & cur non raro grauiores eſſe ſoleant, demonſtrabimus.

Fraterni amoris exempla.

Cur inter fratres oriantur diſcordiæ, & cur grauiores eſſe ſoleant. Cap. III.

QVAMVIS diſcordia eiuſmodi ſit vitium, quod omni malitia eſt infectum, & omni vtilitate & voluptate caret: tamen, iam humano guſtui eius amaræ radices adeo dul-

cue-

cuerunt, ut pauci ſint, qui non modo amicos, ſed nec fratres bene conſentientes poſſint ferre, vt rariores nunc amores ſint fraterni, quam olim eorundem fuerint odia, & cũ poetis liceat canere:

—fratrum quoque gratia rara eſt. Ouid. lib. 1. met.

Et item. Manil. lib. 4. Aſtron.

Mutuaq; armati coeunt in vulnera fratres.

Rem ita ſe habere, vt dicimus, quotidiana experientia docet, & multa, quæ apud ſcriptores leguntur demonſtrant exempla. Cain inuidiæ ſtimulis actus fratrem innocentem necauit. Eandem ob inuidiam Ioſeph a fratribus male acceptus fuit. Abimelechus Gedeonis filius, dira regnandi cupiditate incenſus, ſeptuaginta fratres peremit. Ariſtobolus & frater, dum de regno hoſtiliter diſceptarunt, regnum ac ciuitatem amiſerunt. Thyeſtes fratris vxorem violauit, & proprium filium ſibi a fratre edendum appoſitum, manducauit. Eteocles & Polynices mutuis vulneribus ſe confecerunt: ex quorum corporibus vna concrematis naſcentes flammæ ſeſe, vt ſcribitur, diſſociarunt. Romulus cum conſortem regni fratrem nollet habere, in fraternam conſpirauit cędem, atq;

Diſcordiæ fraternæ exẽpla. Geneſ. 4. Iudic. 47. Sabel. lib. 3.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri. Luc. li. 1.

Deniq;, vt multa crudelitatis omittam exempla, quæ non ſine moleſtia exaudiri poſſent, Turcharum principes a nece fratrum, quod ſolemne fuit regibus Perſarum, regnum auſpican-

Egeſp. lib.1. c.9.

Fraternum odiũ cur magnum.

ſpicantur ſuum. Nanq; regnandi cupido fratribus non parcit. Sed roget quiſpiam, cur odia fraterna maiora & acerbiora eſſe cõſueuere? Dicerem in primis, id ex eo naſci, quod plures & grauiores cauſas huiuſmodi odia, quam alia, acerbitatis habeant. Ad hęc, experientia & ratio docent, ibi maiores excitari irarum flammas, vbi maiores præceſſerunt amores. Hinc prouerbium: Qui ſe nimium amant, hi ſe oderunt. Et, vt Ariſtoteles docuit, calidiſsima fiunt frigidiſsima. Quare ex amiciſsimo fit quis inimiciſsimus. Accedit etiam, quod nihil poteſt æque excitare odiũ, ac ſi quis ab eo detrimẽtum capiat, vnde emolumentum ſe accepturum ſperabat. Poſtremo, quoniam diutius fratrum duritatem & neglectionem fratres ferre conſueuerunt, & ita maiores paulatim aggerantur iræ. Vbi autem patientiã abiiecerunt, in atrociſsima prorumpunt odia. Nam, vt Publianus ſcripſit;

Ariſtot. lib. 7. Polit. c. 7. 4. met. c. 3.

Furor fit læſa ſæpius patientia.

Quamuis autem hæc fraterna diſſenſio valde cum natura pugnent, cum abſurdum omnino ſit eos inter ſe digladiari, & capitales inimicitias exercere, qui deberent coniunctiſsime viuere: tamen, ſi quis accuratius in hanc rem cogitatione intrauerit, aliquid in ipſa reperiet, vnde tam grande poſsit dimanare malum. Neque enim mirum omnino eſſe debet eos inter ſe altercari, inter quorum manus ſexcenta quotidie diſcordiarum incitamenta, niſi ex-

Cur inter fratres oriantur diſcordiæ.

plorate

plorate admodum vixerint, oriri poſſunt. Præterea, concordia ab amicitia potiſsimum pendet; amicitia vero magis a voluntate & a ſtudiorum ſimilitudine, quam a natura proficiſcitur; a qua natura fraterna caritas maxime ſuas vires accipit. Vir amicabilis, ait ſcriptura ſacra, magis amicus erit, quam frater. Non igitur mirum omnino accidat, ſi ea diſſoluatur beneuolentia, quam interdum propria nõ copulauit voluntas. Vſu venire etiam ſolet, vt ea ętate, qua pueri more belluarum viuunt, antequam nimirum ſapere incipiant, leuibus de cauſis fratres inter ſe odia exercere incipiant, quę mollia initia paulatim obdureſcũt, cum in dies aliæ ſuccreſcant diſcordiarum cauſæ: & ita, vbi ad id tempus, quo homines ratione vtuntur, deuentum eſt, non facile tolluntur; imo qui iam genitus erat habitus, conſolidatur, ac corroboratur magis.

Cicer. lib. de amic.

Ber. ſer. 44. in cant.

Prou. 18.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorẽ
Teſta diu.

Hor. ep. 1.

Exemplo eſſe poſſunt duo filij Seueri Imperatoris, qui, vt refert Herodianus, a puerili ætate ob coturnicum & gallorum pugnas inter ſe inimicitias exercere cęperunt: poſtea adulti, & corroborati, capitali odio ſe proſequebantur. Quamuis autem res ita habeat: tamen, cum quid turpiſsimum atque flagitioſiſsimum ſit diſcordia fraterna, vt planius inferius dicetur; cumque ex ea multa oriantur in humana rep. diſpendia, huic tam graui in-

Herod. lib. 3.

com-

commodo pro virili, occurrere tentabo. Ingrediamur igitur diſcordiæ fraternæ cauſas rimari, eiſque commoda parare remedia.

Diſcordiarũ capita.

Poſſunt autem omnes fratrum diſcordiæ ad duo capita reuocari; vt aliæ ſint intrinſecæ, aliæ extrinſecæ: illæ oriuntur potiſsimum, vt

Plutarc. Boet. li. 1. de muſ. c. 1.

Plutarchus ſcripſit, ab inæqualitate, quæ diſſidij & odij, vt æqualitas beneuolentiæ, cauſa eſſe ſolet: hæ vero variæ ac diuerſæ eſſe poſſunt, vt ſuo dicetur loco. Illæ rurſus interdum ab inferiore fratre, interdum vero ab eo qui antecellit, ortum ducunt ſuum. Nunc de prioribus ſequenti capite diſputabimus, poſtea de alijs ſuo ordine agemus.

De diſcordia quæ naſcitur ex inæqualitate bonorum naturalium.
Cap. IIII.

Homines ſuperbi. Simonides.

CVM omnes fere homines, vt eſt in prouerbio, tanquã galli bene criſtati ſint; hinc eſt, vt cum longe ab alijs, & maxime ab ijs, qui eodem prorſus loco nati ſunt, quis ſe ſuperari ſenſerit, id patienti non tolleret animo. Confirmat id, quod diximus, lex, quæ apud Corinthios olim fuit, qua decretum erat, ne quis præſtantior eſſet alijs: & ſi quis virtute præſtaret aliqua, a ciuitatę diſcederet,

& apud alios eſſet excellentior. Athenis itidem ob eandem cauſam exilij pœna erat conſtituta. Ob quam etiam cauſam Hercules, qui cũ Argonautis nauigabat, ab eis fuit expoſitus, qđ ipſe ſolus iuſtum eſſet nauis põdus: qđ Theodorus ab Atheniẽſibus pulſus Lyſimacho dixiſſe fertur. Amarunt enim ſemper ſe ſimilia, & ęqualia. Vt merito quidam dixerit, amicitiam non eſſe firmam niſi inter ęquales. Et quidam poeta çecinerit. Saxo grãm. li.3.hiſt. Daũ.

Omnes hiſeſe vehementer amantq; viciſſim Theognis.
Vicini, æquales viribus, atq; ſenes.

Inæquales vero & diſpares, ſe viciſsim odio proſequuntur. Odit enim Epicureus, Stoicum: Philoſophus, Iureconſultum: Poeta, Theologum; & laici clericis, vt per multos ſacros canones cognoſcere licet ſemper fuẽre infeſti. Et Horatius: Diſſimiles ſe oderunt. 11.q 6. c. Laicos. c. Cler. de im. Ecc. li. 6.

Oderunt hilarem triſtes, triſtemq; iocoſi,
Sedatũ celeres, celerem gnauumq; remiſſi.

Amat itaq; ſimilis ſuam ipſius in alio imaginem: & hinc eſt, vt ex conſuetudine probentur mores. Is igitur frater, qui donis, vel a natura, vel a fortuna, vel a diuina beneficientia cõceſsis ſe inferiorem eſſe cernit, ni ad rationem confugiat, ni caueat, non raro ex hac parte excitandi diſcordias contra fratrem occaſionẽ ſumet. Quare, licet multa ſint, quæ ęqualitatem eam, quæ inter fratres eſt, aperte demonſtrant, vt ortus idem, conditio, educatio, vſus, domus, res familiaris, aliaque permulta L. eum qui, C. de epiſc. aud.

Inuidia unde dicta.

Inuidia quid.

Prima cauſa diſcordiæ fraternæ.

Remedia.

Syneſius Platon. li. de ſomnijs.
Theodoretus li. 6. contra græcos.

eadem, ob quam æqualitatem & ſimilitudinem maxime concordes eſſe deberent: tamẽ, inuidia, quæ a minus videndo dicta eſt, æqualitatem & ſimilitudinem hanc ne germani videant, efficit: & ſi quid inęqualitatis inter eos reperitur, oculis maleuolentia ſuffuſis cernit, ac de alterius bonis, quod ea propriam gloriã minuere exiſtimet, triſtatur, & tãdem diſcordiam gignit. Primum ergo ſolent oriri inter fratres diſcordiæ, quod alter ab altero ingenij præſtantia, corporis robore, pulchritudine, gratia, & alijs a natura conceſsis donis ſe ſuperari videat. Tunc enim inuidentię ſtimulis actus, nihil non quærit excellentiam, vt fratris ſe antecellentis deprimat, ac ei detrahendo ſibi æqualem, vel inferiorem faciat. Verum, hæc eſt admodum frigida & imbecilla cauſa ad tam grandem caritatem, cuiuſmodi eſſe debet fraterna caritas, tollendam. Nam, ſi frater animaduerteret hanc rerum vniuerſitatem, & humanam conſociationem abſque inæqualitate conſiſtere nequire, nec omnes homines paribus, & æquis cõditionibus a natura procreari debere; intelligeret profecto, quam inepte ſe gerat, dum ex eo diſſentiendi & errandi occaſionem ſumit, quod in natura eſt maxime neceſſarium. Etenim, qui ornatus, quæ pulchritudo, quod decus ſine diuerſitate, & varietate cernitur? Quodnam monſtrum eſſet humanum genus, ſi omnes homines eodem etiam ſummo gradu pulchritudi-

nis,

nis, fortitudinis, gratiæ, & virtutis conſtituti eſſent? Fruſtra igitur torquetur ob id, quod maxime naturam perficit & conſeruat, ac propterea exiſtere neceſſe eſt. Conſulat itaque, dum huiuſmodi maleuolentia & inuidia diſcruciatur, Venuſinum poetam ſic canētem:

Durum, ſed leuius fit patientia, Lib. 1. od. 24.
Quidquid corrigere nefas eſt.

Intelligat præterea neminem poſſe cuipiam iure inuiſum eſſe, niſi eum, qui aliquid offenderit, aut aliquem læſerit. Frater autem, ſi ingenio, ſi robore, ſi gratia tibi pręſtat, quid peccat? in quo te, aut alios lædit? Quid ergo eſt cur tibi inuiſus ſit? Tolle inuidiam, & tuum erit, quod habet: tolle inuidiam, ne tibi inimicum faciat, quem, niſi eſſet inuidia, vehementer diligeres, & eum æque ac teipſum amabis. Si natura inimicitiam refugit, cur tu per inuidiam contra naturam agens, inimicitiam quęris, & naturalem amicitiā diſſoluis? Vt enim rubigo eſt propria frumenti ægritudo, ſic inuidia amicitiæ eſt infirmitas. Si natura in fratrē tuum benigna fuit, dum varijs donis eum ornauit, nihil eſt quamobrē frater tibi odio ſit; ſed potius, quod tamen nulla ratione licet, naturam deberes accuſare. Iam vero, ſi in te benefica extitiſſet natura, & maioribus te ornaſſet donis, vellesne eos, quos excelleres, tibi inuidere? certe nolles. Ergo neque tu alijs inuideas. Et hoc eſt primum conſilium, inquit Hierocles, eo modo cum fratre viuere, quo

Prou. 3. Periander. Hierocles lib. de amore fraterno.

ipſum ſecum agere frater vellet: qui ſermo tanquam ὑγιὴς καὶ σαφὴς, hoc eſt, ſanus & euidens cuiuis homini dici poteſt. Tandem, non animaduertis ea bona quæ ſunt in fratre ad te aliquo modo pertinere, cum in familia tua ſint, atque in vtilitatem tuam cedere poſsint? Quamobrem, dummodo quis ea acceperit a natura bona, quæ ad acquirendam virtutem, & ad felicitatem adipiſcendam ſufficiunt, quæ nemini negantur; nec naturam accuſet, nec fratrem his ornamentis ſe anteire iniquo animo frater ferat. Ex his colligere licet, quam inepte fecerint ciuitates illæ, quæ ad æqualitatem hominum conditionem reuocare voluerunt. In eo etiam maxime errabant, quod eos homines, præſtantes nimirum, quibus maxime ciuitates indigent, a ſe non minus impie, quam ſtulte repellebant. Quo in errore ſunt quædam etiam his temporibus vrbes, quæ artifices omnes, etiam ex fęce plebis, ad gubernacula ciuitatis regenda admittunt, & viros doctos, cum inęqualitatem ferre nequeant, & ſuam ipſorum ignorantiam magis apparere nolint, a numero eorum, qui remp. gubernant, reijciunt. Sed cum de hoc abuſu non ſit hic locus diſputandi latius, ad aliam diſcordiæ fraternæ cauſam tractandam ſtylum conuertamus.

Ariſt. 7. Pol. Quarundam ciuitatum cõſuetudo damnatur.

Præſtantes viri vtiles ciuitati.

De diſcordia quæ naſcitur ex inuidia bonorum ſpiritualium. Cap. V.

FERENDVM, ſi eo tantum vſque fraterna ſerperet inuidia, vt ſolum ob ea bona, quæ natura fratri largita eſt, conficeretur; ni etiam illo euaderet, vt fratri ob dona diuinitus conceſſa inuideret, indeque excitandæ diſcordiæ occaſionem caperet. Malus itaque frater interdum, veluti alter Cain, fratrem donis a Deo benigne conceſſis, veluti ſanctitudine, dono prophetiæ, & miraculorum, alijsque ſimilibus ſe anteire, vt ex nonnullis in ſacra pagina recenſitis patet exemplis, ferre nequit. Ad remouendam hanc fraternæ diſcordiæ cauſam, in primis illud facit, quod, cum hæc dona a munificentia proficiſcantur diuina, vel Dei beneficentiam damnet, vel Deum ignorantiæ, aut inuidiæ, quaſi ſua dona non recte diſtribuerit, iſte frater accuſet, neceſſe eſt; quod a pietate Chriſtiana, quam longiſsime abeſt. Nolit igitur diuina perſcrutari iudicia, & eius, qui a fine vſque ad finem omnia attingit & diſponit ſuauiter, opera ſtulte damnare. Audiat Dauidem in quodam pſalmo, qui in codice græco ad finem adſcribi ſolet, hac de re ita

Nicolaus Hanap. c. 42.
Remedia.
Sap 1.
Dauid.

loquentem: οἱ ἀδελφοὶ μοῦ καλοὶ, καὶ μεγάλοι, καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ θεὸς. hoc eſt, Fratres mei formoſi & magni, & non eſt complacitũ Deo in ipſis. En ergo quo modo Deus pro infinita

Matt. 20. ſua ſapientia hæc dona diſtribuit. Nunquid oculus tuus nequam, quia Deus bonus? Inſuper, hæc dona partim dantur in communem vtilitatem, cuiuſmodi ſunt, quæ gratis data vocantur; vt donum linguarum, & miraculorum, & hæc omnibus vtilia accidunt: Quare inuido quoq; fratri prodeſſe poterunt. ſicuti donum interpretandi inſomnia conceſ-

Gen. 37. ſum Ioſepho ſuis fratribus maximopere profuit. Partim vero in vtilitatem priuatam dantur: vt ſunt virtutes, & gratia: quæ bona non ſine priuato labore & induſtria, vna tamen cum diuino auxilio, vt ſacra docent concilia,

Araus. Mileuit. Gratia ab auxilio diuino pendet. D. Proſper. acquiruntur. Quam veritatem epigrammate quodam eleganter diuus expreſsit Proſper: quo loco non modo labore, ſed gratia opus eſſe, his verbis indicauit:

Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis,
Vt quorum dux eſt, fiat & ipſa comes.

Si itaque hæc bona ſuis laboribus & vigilijs, opitulante Deo, ſibi parauit frater; quid eſt, cur ei inuideas? cur potius non laudas, ſi ſtudioſe, ſi pie, ſi chriſtiane ſe geſsit? Si quia bene fecit, odiſti, poſtea quam ſurſum verſus, retroq; te agis, amaſſe debuiſſes, ſi perperam, ſi ſcelerate vixiſſet. Si hanc ob cauſam tibi frater eſt odio, eodem modo optimis quibusq;

di-

diuiſque omnibus, tanquam vnus de numero eorum, dęmonum nimirum, quorum ſuperbia ex odio aſcendit ſemper, inuideas. Et quid faceres Deo, ſi tibi liceret, ſi fratrem odiſti, quod eius beneficentia & ſingulari gratia, ei ſit carior? fortaſſe tanquam theomachus quidam, & veluti Caligula Iouem, ad pugnam ipſum Deum prouocares? Nonne intelligis nihil poſſe excogitari iniquius, quā eum odiſſe, quem Deus habet in delitijs, quē Deus fouet? eum inquam, in quo Spiritus ſanctus inhabitat, eum qui ob diuinam gratiam eſt frater Chriſti, eiuſdemque æterni regni cohæres, Dei filius, ac etiam ſuo modo Deus. O impietatem? o dementiam? fratrem ſuum a Deo dilectum non diligere, eique, qui apud communem parentem tantum poteſt, & valet, ſeſe non inſinuare. Et quid, cuiuis hominum accidere poteſt commodius, quam amicum habere eum, cum eoq; eſſe coniunctum, qui Deo gratus caruſque ſit? Quot fratribus? quot amicis fratrum & amicorum pietas adiumēto fuit? Quam multas Deus ob bonorum ſocietatem gratias alijs communicauit? Pietas Ioſephi in fratrum ceſsit commoditatem: pietas Moyſis Aaroni fratri, & Mariæ ſorori extitit vtilis: pietas Dauidis Salomoni filio profuit: & denique, vt ſexcenta exempla omittam, diuæ Monachæ religio diuo Auguſtino filio ſuo bono fuit. Quamobrem potius cauſas ob quas frater tuus amicus factus eſt

Pſal. 73.

Amicorū Deī excellentia.

Lege centuriam noſtrā de viro iuſto.

Expedit habere amicos, amicos Dei.

Aegi. 1 epiſt. ad Rom. c. 15

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deo perſcrutari, & eum æmulari, atq; ſecordiam tuam excutere deberes. Peccant etiam in eo grauiter fratres, quod cum integritatem vitæ fratris ferre nequeant, quod ab ea, tanquam a perpetuo quodam cẽſore corripiantur, de eius probitate detrahunt, atq; aliquid quotidie corrodunt: quod vitium non vno in loco late deſcripſit ſapiens: & Gillebertus ſermone quodam in cantica eleganter vituperat, & rapacitatem appellat. Sed ſemper viguit, ſemperque vigebit hoc vitium, vt impiorum turba bonos, qui pauci ſemper fuerunt, laceret, & irrideat.

Fratrum quorundã error. Sap. 2. Gilleber. Ser. 19.

Proſper.

Impia pars mundi, parti eſt infeſta piorum,
Nec tolerare poteſt diſſimiles animos.

At quæſo quanta ſtultitia eſt illius non laudare vitam, cuius ſplẽdor te familiamque tuam illuſtrat? Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate? immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines. Magiſtram vitæ tuæ, germani nimirum vitam vituperas? lumen extinguis, ne videas? excœcat te malitia? ſacramenta Dei ignoras? Reſipiſce itaque frater, & germanum tuum germane ama, carũq; habe. Secus enim ſi feceris, aliquando cum impijs, qui amicos Dei vituperant & perſequuntur, dices: Ego inſenſatus vitam fratris exiſtimabam inſaniam, & finem eius ſine honore: ecce quomodo computatus eſt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors eius eſt.

Sap. 4. Sap. 5.

Er-

Erraui in veritate, & iuſtitiæ lumen non illuxit mihi.

De diſcordia, quæ oritur ex inuidentia bonorum animi & fortunæ. Cap. VI.

INVIDIA ab ipſo mundi exordio naturam inuaſit humanam, eamque ſuo veneno ita infecit, ut homines nō tam ſuis malis, quam alienis bonis infelices, quemadmodum malis felices, eſſe ſoleant. Inuidia enim alieno bono dolet, & calamitate gaudet, & tanquam miluius pretioſis unguentis emoritur & male olentibus carnibus paſcitur, & ſi quid in cadauere putridum latet, adunco roſtro extrahit, & in medium proponit. Felicitas ergo ſemper fuit ſubiecta inuidiæ, ſunt enim opima inuidiæ cibus, vt miſeria ſemper ab eadem exempta. Quare nullū eſt bonum tam infimum, quod inuidia liuido oculo non reſpiciat. Progreditur itaque inuidia fraterna, quæ Abel necauit, Ioſeph in ſeruitutem redegit, Moyſen laceraunit, ac ſcientias, diuitias, honores, & denique quidquid boni in fratre reperitur, maleuolenti animo cernit; & vt ea diminuat, & diſſipet nihil non facit. Primum, ſi frater te ſcientijs & artibus

Inuidiæ deteſtatio.
Sap. 2.
Diog. Laer.
Inuidia fraterna circa bona extrinſeca.
Plut. opuſ. de Inuid.
Remedia.

antecellit, haud ignoras eum ſummo labore & induſtria, ſine quibus pulchra & magna haberi nequeunt, iſta bona ſibi cōparaſſe. Quid eſt ergo, cur ferre nolis, ut frater te his bonis ſuperet, quem laboribus & vigilijs te anteire tuliſti? Animaduerte quid agas, obſecro: Dum eruditioni fratris inuides, te inferiorem eſſe demonſtras, illum extollis, tibi ignominiam paris, illi gloriam acquiris, teq; antecellere declaras: quia, ſi inferior & malus nō eſſes, de eius præſtantia non doleres. Quod ſi frater ad hæc bona comparanda ſuo fratri adiumento fuit, huius beneficij non eum pœniteat, ſed de ſua beneficentia gaudeat, ſuorum laborum laudet fructus, fratris commendet virtutem, ſi honeſto quodam modo vult commendare ſuam: cum nemo ſit, qui de rebus a ſe liberaliter ac pie geſtis lętari non ſoleat, ac debeat. Idque tunc maxime par eſt, cum in alios fuerint benefici; cum nihil magis naturam attingat humanam, quam beneficentia, qua proxime homines ad Deum accedunt, qua, qui alijs recte præſunt, illud illuſtre & diuinum nomen ſunt adepti, quod Benefici vocentur, qua tandem homo homini quodammodo fit Deus. Eſt itaque boni hominis ita vitam ſuam inſtituere, vt ſit bonus bonis, & malis; malus vero, nec malis, nec bonis. Neque adeo ſuum officium commendet, ſuamque operam inculcet, augeatq; vt fratris ſtudium & diligentiam minus illuſtrem

Pittacus.

Greg. 5. moral.

Chryſ. i Mat.

Cic. orat. prou. 8. Ligar.

ſtrem reddat: aut nimia petulãtiã beneficium exprobret. Nam dona Exprobratio beneficiorũ damnata.

Auctoris pereunt garrulitate ſui. Mart. lib. 5.

Et odioſum ſemper fuit hominum genus officia exprobrantium. Cicer. de amic. Eadem adhiberi poterunt remedia, quæ hactenus allata ſunt, ſi diſcordia, ſeu maleuolentia naſcatur ex inęqualitatę bonorum fortunæ, vt diuitiarum, & honorum. De quibus illud ſpeciatim dixerim, Sixtus Papa lib. de diu. Eucher. oro. paranetica. iſta non eſſe vere bona, neque magni faciẽda. Quid enim ſplendoris habet, quod etiam a ſceleratis & corruptiſsimis hominibus poſsidetur? Boet. de conſ. quod incertum atque mutabile eſt? Adde, quod iſta, quæ multi mirantur bona, magnorum peccatorum exiſtunt cauſæ; veluti arrogantiæ, maleuolentiæ, & liuoris: & vt Iſocrates ſcripſit, diuitiæ potius improbitatis, quam probitatis ſunt miniſtræ. Iſoc. orat. ad Dæmo. Et vt cum Menandro concludam: Menander. Ne mihi nomina diuitias, non enim magni facio illũ Deum, Plutonem ſcilicet, quem peſsimus quiſque facile ſibi comparat: quas diuitias qui magnifaciunt, qui mirantur animo ſunt peranguſto, & abiecto. Cum igitur tuum ſit, o inuidia, alienis bonis inuidere, cur ob eas res, quæ frequẽtius obeſſe, quam prodeſſe ſolent, inuides? Frater ergo tam ſanctam & diuinam caritatem propter caduci & fluxi boni inuidiam extinguet? Cur potius non amabit fratrem, Gillebertus. & eum amando eius bona nõ faciet ſua? cum amicorum ſint, contrito prouerbio, omnia Prouerbium. Eurip. in Horeſte.

com-

communia? Deſine peruerſe agere, eſto prudens: amor te multo locupletiorem, ac iuſtiorem faciat. Et vt de fama & gloria aliquid dicamus, cum iſta ſint virtutis vmbra, ſtultum ſane eſt ob fugacem vmbram caritatem fraternam violare, & ob vmbram, qua tu cares, alteri inuidere. Solidam igitur virtutem ama, eamque, ipſius relicta vmbra, amplexare. Secus ſi feceris, hæc tibi canam.

Fama, & gloria vera.

Cicero.

Virtutem mittis? Famam dum amplecteris vmbram,
In vanum curris: quam capis vmbra, Nihil.

Ad tollendas has fraternæ diſcordiæ cauſas ſuperius numeratas multa in deteſtationem iſtorum fortunæ bonorum dici poſſent, quæ breuitati ſtudens, libens prætermitto. Naſci præterea interdum ſolet diſcordia fraterna ex ætatis inæqualitate, cum ętate minor natu maiori renuit obedire, aut maior erga minorem nō ſe fraterne, ſed imperioſe gerit. Ceterum, hæc eſt viua naturæ vox, & apud omnes nationes communis conſenſus, vt maiores minoribus prę ſint, & infirmiores a potentioribus gubernentur, & vt qui prę cellit regat, qui regitur obediat, & honorem regenti exhibeat. Nam maiores,

Alia diſcordiæ cauſa.
Plutar.
Lud. Viu.
33. q. ult. c. ordo.

Iune. ſat. 13.

Credebāt hoc grāde nefas, & morte piādum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuique puer.

Vtatur itaq; inferior frater hoc naturæ & Dei beneficio, agatq; diuino numini gratias, quod ſibi

ſibi fratrem ducem & magiſtrum dederit; illudque ob oculos habeat, ſe talem debere eſſe erga minorem fratrem, qualem, ſi maior ipſe eſſet, vellet eum experiri; humanum nimirũ, atq; beneuolum. Siquidem hominum ingenium ita fert, vt beneuolos in ſe illos velint eſſe, in quos ipſi ſunt maleuoli. In ſumma, cum nihil in corporis quantitate ſit vitij, animos virtutibus & caritate æquabiles reddant, & diſſentient nunquam. Quædam alia, quæ huc facerent, alio dicentur loco.

Traduntur duo opportuna remedia ad tollendam diſcordiam, quæ ex quacunque naſcitur inæqualitate. Cap. VII.

SAPIENTER illud ſcriptum reliquit Plato: æqualitatem ſtatum, inæqualitatem vero motum parere. Cum autem fratres non poſsint omni ex parte omnibus in rebus eſſe perſimiles & æquales, danda opera eſt, ne iſta inæqualitas inter eos motum diſcordiamque gignat. Propterea duo communia remedia hoc capite tradere uolumus, quæ ad omnem diſſenſionem ex quacunque inæqualitate naſcentem tollendam, maxime accommodata erunt. Primum itaque remedium

Aequalitas ſtatum, inæqualitas motum parit.

Primum remedium.

dium illudque ualde præſentaneum eſt, ut inferior frater intelligat ſe a pluribus in omni bonorum genere ſuperari : veluti in pulchritudine, robore, ingenij perſpicacitate, ſcientiarum excellentia, dignitatum ſplendore, alijſque ornamentis generis eiuſdem. Et, ſi inuidere vult omnibus, qui ipſum his bonis antecellunt, quotuſquiſque erit, qui eius effugiat inuidiam? cum pauci ſint homines, qui aliqua re quibuſcunque inferiores non ſint: ac proinde erit ueluti alter Timon, μισάνθρωπος, ideſt hominum oſor. Illi enim ita fuerunt homines inuiſi, ut etiam poſt mortem eis maledixerit, ut ex eo, quod ſibi fecit, conſtat epitaphio.

Timon.

Guido Bituric.

Hic ſum poſt vitam miſeramque, inopemq; ſepultus.
Nomen non quæras : Dij lector te male perdant.

At quid poteſt excogitari inhumanius, & ab humanitate magis alienum, quam homunculum vnum hominibus omnibus inuidere? Quod ſi ſoli fratri te antecellenti inuidere uolueris; quæ ratio, quæ cauſa eſt, ut ceteris miſſis inuidiam omnem in fratrem conuertas? Nõne vides fore vt ſemper infelicißime uiuas, cum continenter ob oculos occaſionem, vnde dolorem & męſtitiam capias, ſis habiturus? Et quid mirum eſt, ni uides, cum tuos inuidia oculos liuore perſtrinxerit? Quare ne fratris felicitas te torqueat, & excruciet, pelle

Inuidiæ deſcriptio.

à te

à te hunc ſtimulum, hunc mucronem, hanc peſtem, hanc flammã, hoc telum, hanc rubiginem, hanc tineam. Eſt enim inuidia telum, quia transuerberat: flãma, quia inteſtina vrit: peſtis, quia inficit: mucro, quia ſecat: ſtimulus, quia pũgit: rubigo, quia exedit: tinea, quia corrodit. O inuidia malorum princeps, mortis mater, peccati ianua, vitiorum radix, calamitatum parens, inobediẽtiæ cauſa, ignominiæq; principiũ. Tu ligno vitæ nos priuaſti, paradiſo expuliſti, immortalitatis veſtibus ſpoliaſti, & ad ignominiam ficulneis folijs amiciſti. Dic, te oro frater, qua iniuria accepta cõtabeſcis? quod crimen frater in te perpetrauit? quid habes, quod cum eo expoſtules? ſi eſt gratia ornatus, ſi eloquentia prædictus, ſi virtute conſpicuus, ſi honorifice acceptus, ſi laudibus celebratus, ſi fortunis locupletatus: cur hęc bona, quę potius te exhilarare deberent, te angunt, conficiunt, torquẽt? Cur bona fratris in perniciẽ tuã conuertis? vt hoc ipſo, alijs, qui ſolum ob propria mala triſtantur, te infeliciorem duplo magis reddas? In eo tamen non poſſum non laudare inuidiam, quod eum ipſum a quo amatur cruciet. Hæc pauca, multa ſilentio inuoluẽtes, contra inuidiam afferre voluimus, vt fraternam ſocietatem hoc morbo, ſi id aſſequemur, liberemus: quia, vt Euripides ſcripſit, ad curandum tam grandem morbum opus eſt potionibus, & pharmacis quamplurimis. Quare ſicuti

Inuidiæ vitiũ [illegible] peratio. [illegible]

Euagoras.

Philemon.

Euripides.

Stobeus legendus.

non omnibus, quos minus te amare licet, debes inuidere, ita nec fratri, quem magis te amare oportet: & cum facere non poſsis quin te alij excellant, gratius tibi eſſe debet, potius a fratre, quam ab alijs vinci; cum eius virtus, vt mox dicetur, tibi prodeſſe poſsit. Alterum remedium eſt, vt poſteaquam tu his bonis cares, honeſta quadam arte ea, quæ fratris ſunt efficias tua. Efficies autem ſi eum tibi gratioſum reddes, ſi eius gratiam honeſto quodam modo aucupatus fueris: ſi cum eo coniunctiſſime vixeris, ſi eum germane amaueris; ſiquidem omnia verus exæquat amor. Tolle inuidiam, ait Auguſtinus, & tuum eſt, quod habeo: tolle inuidiam, & meum eſt, quod habes. Itaque hac arte locupletior fies, tuis nimirum & fraternis bonis. Et ſicuti homines de familiæ ſplendore, de maiorum virtute, de filiorum gloria, de amicorum præſtantia, deque alijs externis ſuorum ornamentis gloriari cõſueuerunt: cur etiam conuenienti quadam ratione frater de ornamentis & bonis fraternis non gloriatur? Amor igitur te hilarem, & locupletem, non inuidia mœſtum & egentem faciat. Ceterum, cum non modo ex improbitate inferioris fratris, ſed etiam ab arrogantia, & inſolentia eius, qui antecellit in conſociatione fraterna interdum exoriantur lites, quo modo is qui præſtat erga inferiorem fratrem ſe tractare debeat, ſequenti capite demonſtremus.

Alterum remedium.

Auguſt.

Quo

Quo modo excellens & ſuperior frater inferiorem fratrem tractare debeat. Cap. 8.

EA eſſe ſolet eorum, qui aliqua re excellunt, ni explorate viuendo ſimul magni & parui eſſe ſtudeant, conditio; vt vel inferiores contemnant, vel nō facile eis ſe æquent; quod & egregiæ, & diuinæ cuiuſdam virtutis eſt; vt merito admiratus fuerit propheta, cum cecinit: Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? Eſt enim ſuperbia propria eorum, qui aliqua re ſibi excellere videntur. Propterea vſu venire ſolet, vt frater qui præcellit in inferiorem fratrem ſuperbe & petulanter ſe gerat, eumq; floccifaciat. Vbi enim eſt ſuperbia, eſt contumelia, vt ſacra docent eloquia: ex qua re nō leues diſcordię inter fratres ſuccreſcunt. Nam qui ſe dilatat & iactat, iurgia concitat. Vt igitur hanc diſcordię radicem euellamus, quo modo is, qui fratrem aliqua re anteit, ſe tractare debeat, paucis aperiemus. Si primum de bonis a natura acceptis glorietur, elationem iſtam comprimet, ſi hæc bona ſe nulla arte, nullo ſtudio comparaſſe, ſed aliunde, & quidem mutuo, ut Epictetus ait acce-

Hominum excellētium conditio.

Pſal. 112.

Sup̄bia quorum ſit propria.

Prou. 11.

Prou. 29.

Epictetus.

cepiſſe ſentiet. Et ſicuti nihil eſt quamobrem equus de ornato ephippio & inauratis bullis ſibi impoſitis glorietur: ita, neq; tu cur de donis a natura tibi conceſsis glorieris, habes. Quid? quod, ut ſcripſit ſapienter Sedulius, ignobilitas magna eſt, ſi filij Dei de terrena nobilitate ſe iactent. Non eſt ergo cur de lutulenta gloriceris materia, ex qua fictus formatusq; es. Hanc rem eleganter admodum demonſtrauit ille, qui dixit mundum eſſe ueluti quendam mercatum, homines uero eſſe uaſa, & ollas luteas a figulo huc inuectas; quæ licet inſcriptione inter ſe diſcrepent, quod una aurea, alia argentea, alia ænea, alia lutea appelletur: tamen, materia eſt omnium una.

Sedul. in 2. ad Cor. 11.

Agapet.

Humanæ naturæ cõditio.

Epict.

Perſimilis mercato eſt magno magnus hic orbis;
Plurima quo fictor Vaſa tulit lutea;
Quæ varie inſcripſit: verum ſi materia vna,
Cur ſimilis ſimilem deſpicit olla ſimum?
Mox frangendę omnes, titulusq; erit omnibus vnus:
Propria cum cunctas conteget vrna. Fimus.

Nemo igitur de lutulento genere, aut inani titulo ſe iactet, ſed potius de morum integritate glorietur. Et quoniã inter cetera dona nobis a natura cõceſſa, nullum eſt, quo magis homines ſe efferãt, quam ingenij perſpicacitate, hãc elationẽ ex doctrina Franciſci Petrarchę hunc in modum deprimere quiſque poſſet.

Agape.

Franciſcus Petrarcha.

Eſt

Eſt mihi,inquis, præſtãs ingenium:at potius, bonum & honeſtum requiro : magnitudo ſola ſuſpecta eſt. Sæpe magnum ingenium magnorum initium malorum fuit. Multa hoc loco afferre cuique licebit, quæ hominem ad ſummiſsionem valeant traducere. Si autẽ ſe iactet de donis diuinitus conceſsis, intelligat, hoc ipſo ſe iſta amiſſurum, ſi de his loquamur donis, quibus Deo gratus exiſtit, quod fratrem germane non amet. Animaduertat præterea ſe hæc bona ſuis viribus non acquiſiuiſſe,ſed diuina opitulante miſericordia, vt ſancti patres & catholica fides docẽt: cum omnis noſtra ſufficientia a Deo ſit; qui dat velle, & perficere.Hanc veritatem agnouit etiam ille, qui cum animaduerteret ſe veterem mẽtem mutaſſe, & nouam acquiſiuiſſe,hunc in modum cecinit.

Ingenij magnitudo ſuſpecta.

Greg. Naz. epiſt. ad Clidon.

Clẽ. 4. ſtrõ.

Cyr. lib. de adorat.

Innoc. 1. in reſcr. ad cocil. carth.

Mens noua me fateor, mens nõ mea quondam,
Sed mea nunc auctore Deo, qui ſi quid in actu
Ingenioue meo ſua dignum ad munia uidit,
Gratia prima tibi,tibi gloria debita cedet.

Auſon.

1. Cor. 15.

Quid ergo, ſi accepiſti, gloriaris ? Redde Deo qđ eſt Dei, & videbis nihil in te remanere,vnde te efferas: cernes enim te omnibus bonis nudũ, miſerum ac miſerabilem. Opera enim noſtra ſi a diuina gratia ſeiungãtur, ſunt tanquam pannus mẽſtruatæ; quem pannum operationum a gratia ſeiunctarum, ſi

Iſa. 64.

Opera noſtra ſine gratia imperfecta.

quis ob oculos ponat, non gloriæ, ſed potius pudoris occaſionem ſumet.

Proſper.

Nam nihil eſt hominis quod digne poſſit amari,
Perficiat proprium ni bonus auctor opus.

Caue ergo, ne dum te nimium effers, ab illo excelſo diuinæ gratiæ gradu decidas.

Proſper.

Nam ſi te uirtute tua ad cæleſtia credis
Scandere, de ſuperis pulſus ad ima cades.

Quod ſi de bonis animi ſuo labore acquiſitis, veluti de ſcientijs, & artibus ſe iactet; intelligat initio, quot præſidia ad hæc bona ſibi comparanda a natura, & beneficentia diuina habuerit: veluti celeres animi motus, ingenij perſpicacitatem, bonam valetudinem, & alia multa extrinſeca adiumẽta, quę ei prouidentia diuina ſuppeditauit, & tunc profecto cognoſcet quam parũ ſibi arrogare poſsit. Et, ſi a fratre adiutus fuerit, agnoſcat acceptam gratiam, ingrati animi notam ſubterfugiat: quæ adeo magna eſt, ut Publianus dicere nõ dubitauerit: Dixeris maledicta cuncta, ſi ingratum hominem dixeris. Quod uitium tale ac tãtum eſt, ut integris operibus quidam vituperandum eſſe exiſtimauerint. Poſtremo hæc bona non ſunt huiuſmodi, ob quę te efferre poſsis. Nã, vt recte Porphyrius ſcripſit; diſciplinarum multitudo etiam ſi quis omnes teneret diſciplinas, hominem beatum efficere nequit. Quam veritatem intelligebat ille, qui interrogatus, cur libris legendis ſe non

Ingratitudo fugienda. Publianus Campanus orat. de ingrat. Quint. Mando. trac. de achariſtia.

Porphyrius.

D. Antonius Trip. lib. 1. Nice. lib. 8. c. 4.

non occuparet, reſpondit: bonam mentem eſſe priorem & potiorem litteris. Sed de vanitate ſcientiarum, ni cum ſummiſſione & ad gloriam Dei percipiantur non eſt hic locus diſputandi latius: illud dixerim, etiam ſi ſcires, omnia quæ Deus nouit, nihil haberes vnde iure optimo te poſſes efferre, ſi ſola hac ſcientia ſine virtute, eſſes ornatus. Quanto itaque quiſque ſuperior erit, tãto ſe ſummiſſius gerat, quod ſane eſt generoſi, & excelſi animi. Et his paucis, compreſsiſſe ſuperbiam ex bonis ſupra numeratis promanãtem ſufficiat. Nunc de alijs bonis externis pauca dicamus.

Scientiarum vanitas.

Comprimitur ſuperbia fratris excellentis, & deſpicientis fratrem. *Cap. IX.*

CVM nihil ſit, de ſententia diui Hilarij, quod magis in nos iram prouocet diuinã, quam ſuperbia, nihil magis homines (ſi modo quid diuina ira poſsit intelligunt, a ſe repellere deberent, quam ſuperbiam, & præſertim eam, quę ex caducis mom ẽtaneiſque rebus ſumitur. Hanc ueritatem intellexit etiam Chilon, qui interrogatus, quid Deus ageret; reſpondit: Humilia exaltare, & ex-

Hilar. in Pſal. 118.

Chilon.

celſa humiliare. Et illa beatiſsima Virgo, quę ſicut primum inter omnes creaturas excellentię obtinuit gradum, ita & primum ſummiſſionis ſibi elegit locum, diuino ſpiritu acta, cecinit: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Stulte igitur agit frater, qui ideo fratrem paruipendit ſuum, quod bonis, quæ fortunæ vocantur, ſe munitum eſſe cernit. Si fortunæ ſunt bona, cur ob aliena bona glorìaris? Et cum ſint extra te poſita, non vides quam inepte facis, cum ab extrinſecis rebus gloriam tuam ſumis. Si equus, ait Epictetus, ſuperbiens diceret, Pulcher ſum; ferendum eſſet: tu vero, cum dicis pulchrum equum habeo, memento te ob pulchrum equum ſuperbire. Vide quam pueriliter te geras, quippe qui more puerorum de rebus inanibus te extollis. Pueri nãque propter tunicam, aut togam, aut pileum, aut calceos ſe iactant, & alijs anteferunt, cum nulla alia nouerint eſſe bona præter iſta: vt merito quidam ſcripſerit, huiuſmodi fortunæ bona eſſe veluti puerorum crepundia. Nulla igitur vana te capiat gloria his de rebus, quas ſceleſtiſsimus quiſque poſsidet, & quam plurimi amplius te abundant. Quid? quod cadere interdum poteſt, vt dum deſpicis fratrem, & ob huiuſmodi bona inſolenter gloriaris, ille virtute & pietate ſit ornatus; quæ virtus ſola omnibus iſtis bonis præponderat. Et tunc quam ridiculum erit, videre te momenta-

Luc. 1. Humilitas placet Deo.

Bona fortunę paruifacienda.

Epictetus.

Valer. Max.

Virtus omnibus bonis externis prępōderat.

neis,

neis, inanibuſque bonis munitum, glorian- tem & irridentem fratrem tuum aurea & diuina virtute locupletem,& æternis ſolidiſque bonis onuſtum: non ſecus,

Ac ſi cæcus egens rem & viſum ludat habētē.

Optimum ad remouendas has diſsidij cauſas remedium erit, ſi hæc & cetera ſua bona cum fratre communicauerit; cum hac de re nobis a Deo data ſint, alijs vt impertiamus: præſertim cum nullius rei iucunda ſit poſſeſsio, niſi habeas cum quo communices. Fratrem ergo ignarũ, ſi doctus eſt erudiat: pauperem, ſi diuitijs affluit, ſubleuet: ſceleſtum, ſi religioſus eſt, bonum efficiat. Cogitet nihil poſſe eſſe magis incongruum, quam ſi frater in excelſo loco poſitus iacentem fratrem humi manere ſiuerit. Hęc dum pręſtabit officia, non modo bona nõ amittet ſua, ſed augebit dando, amplificabitque impertiendo. Sit denique, vt bonus ille Iob, oculus cœco, & pes claudo: & vt Phocilides admonebat; χεῖρα πεσόντι δίδου. Hoc eſt.

Baſ. hom. contra diuit.

Cicero in Lælio.

Iob.

Phocil.

Manum labenti porrige.

Repellat itaque a ſe frater omnem animi elationem;& nolit propter inanem rerum caducarum gloriam fraternam caritatem extinguere, ac fratrem poſſeſsionem iucundiſsimam & feraciſsimam amittere, de cuius poſſeſsionis vtilitate & iucunditate ſuis poſtea diſputabitur locis.

Fratrem, aliquo corporis vitio laborantem non eſſe deſpiciendum. Cap. X.

Philo lib. de mundo. QVAMVIS eiuſmodi ſit diuinorũ operum prę́ſtantia, vt nec a quouis Momo iure reprehendi poſsint: tamen, ob inſcientiam, cum pauci ſint, qui in illis diuinam artem & ſapientiam animaduertant, non raro accidit, vt vituperentur, aut certe minoris fiant. Hinc eſt, vt ſi natura, vel caſu, aliquod corporis vitium inſitum fratri fuerit, ob id minus ametur, atque etiam ſæpenumero deſpiciatur. Vt ecce: ſi balbus, ſi gibboſus, ſi ſtrabo, ſi plancus, ſi labeo fuerit, quibus etiã nominibus, ad ignominiam, ſolet appellari. Verum, quantum
Matt.c.5. hæc deſpicatio diſpliceat Deo, indicauit aperte Saluator apud Matthæum, dum reos fecit concilio, & gehennæ ignis eos, qui fratri, racha, aut fatue dixerint. Et cum nihil, vt eſt in ore ſapientum omnium, temere, vel caſu
Ariſtot. Theophr. de plant. ratione diuinæ gubernationis, ac erga hominum genus curę in hac rerum vniuerſitate fiat, exiſtimare profecto oportet, eiuſmodi eſſe fratrem, qualem Deus eſſe pro ſua prouidentia voluit, & ſtatuit. Accuſabis igitur

Dei

Dei prouidentiam, quod fratrem tuum non ſic formauerit, vt ei expediebat? cuius procuratio, prout cuique confert, diſtribuit. Caue itaque ne quo modo vili fratrem pendas, ne ei des vitio, quod omni culpa caret: & a te. Greg. Nyſſ. li.6.c.3.

Diuinum in nullo figmentum deſpiciatur. Proſper.

Vt autem quod ſentio, hoc loco dicam; quadam ſingulari Dei prouidentia & miſeratione fieri puto, ſi quod vitium a natura noſtro corpori inſitum fuerit, idque ad maiorem noſtram vtilitatem, animique ſummiſsionem. Quare, ſi quis gibber fuerit, dicat, ſecundum magnam miſericordiam Dei: ſi claudus, dicat, ſecundum magnam miſericordiam Dei: ſi luſcioſus, eandem repetat ſententiam: ſi eſt præpedita lingua, eiſdem vtatur verbis: aut certe cum eodem propheta, vt irridenti erroris ſui grauitatem oſtendat, dicat: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Itaque iure optimo apoſtoli quodam canone eos a ſacra communione repulerunt, qui aliquo corporis vitio laborantes, irridebant. Et quid quæſo poteſt excogitari abſurdius, & ab humanitate magis alienum, quam inde deſpiciendi occaſionem ſumere, vnde potius miſerandi capienda erat? Potius enim miſerandus eſt is, qui aliquo corporis vitio laborat, quam vlla ratione deſpiciendus. Quis igitur erit tam cœcus, qui cœco cœcitatem improperet? quis ita mēte captus, ut eum vituperare audeat, qui naturę vitio Pſ.95. Apoſtolorum canon.

erit mente deſtitutus? Accidit etiam interdum, vt ideo frater paruipendatur, quod ex legitima copula non ſit natus. Verum, quid ipſe peccauit? quid facere ipſe potuit? cur parentis offenſam, in fratre dannas? Naſci de adulterio, vt epiſtola ad Pammachium ſcripſit Hieronymus, non eſt eius culpa, qui naſcitur, ſed illius qui generat. Si parui facis, quod non ſit legitime conceptus; cur non veneraris, quod filius Dei & frater tuus eſt? Nemo poteſt appellari ignobilis, qui e cœlo genus ducit, qui imaginem & ſimilitudinem Dei gerit, qui Chriſti ſanguine eſt redemptus. Nemo eſt contemptibilis, quem Deus filium appellare dignatur. Sat tibi ſit illum eſſe hominem, & eiuſdem naturæ conſortem, ac propterea dignisſimum, qui a te ametur. Poſſent hoc loco multa dici de hominis excellentia ob quam quiuis homo a quouis homine maximi fieri deberet; quæ excellentia in omnibus reperitur, quam præter cæteros non uno in loco extulit Ter Maximus: & Pythagoras,

Fratres ſpurij non contẽnendi.

Lege Grat. d. 56.

Ioann. Picus. In Aſclep. lib. de inter. hom. c. 36.

Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐςὶ βροτοῖσιν

Hoc eſt.

Sed tu confide, quoniam diuinum genus eſt mortalium.

Trip. lib. 9. c. 31.

Imaginem ergo Dei ne contemne, ne in te creatorem, dũ eius opera inique deſpicis, irrites. Hæc eadem, quæ hactenus dicta ſunt, ac dicentur poſtea, pari ratione de ſororibus in-

Simon de Caſ.

intelligenda ſunt, quas nulla ratione licet minus amare, quod non ſint eiuſdem ſexus; cũ plus naturæ, quam ſexus ſimilitudo poſsit: quibus etiam ea de cauſa aliquid condonandum erit, quod impotentiore ſint animo, & minus ratione polleant. Quod ſi ad fratrem earum cura proxime ſpectabit, eas in officio contineat, ac tanquam pater, omnibus in rebus eis prouideat. Ipſæ vero meminerint ſe fœminas eſſe, quarum ea eſt conditio, vt potius ſubeſſe, quam præeſſe debeant, ac proinde reuerentiam fratri, tanquam parenti & cuſtodi, exhibeant. Et ut hanc partem, quæ eſt de diſcordia, quæ a cauſis quodammodo intrinſecis naſcitur, concludamus, ad tollendam omnem elationem & deſpicationem, cogitet frater qui ob aliquam excellentiã ſe ſe effert & fratrem deſpicit, fieri poſſe, vt ipſe deprimatur, frater vero extollatur. Nam Deus

Sorores non contemnẽdę.

Sororum officium.

Remedium contra elationem.

Horatius.

--- *Valet ima ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens.

Et ſcriptura: Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens uirtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Poſtremo, vt multa paucis concludamus, nouerit ſuperbus frater deſpicationem non facile ab hominibus tollerari, & multo minus ſi quis ab eo cõtemnatur, a quo defendi

Eccl. 11.

Frater non eſt deſpiciendus.

di & honorari debebat: quod intollerabilius accideret, quando is, qui deſpicitur, deſpiciẽtem amore eſſet proſequutus. Nã, vt Menander ſcriptum reliquit;

Menander.

Nemo ſui contemptũ ęquo animo fert amãs. Ob quam cauſam, vt Ariſtoteles tradidit, inter fratres inimicitiæ ſunt grauiſsimæ. Sed iam ad alias cauſas extrinſecas explicandas tranſitum faciamus;

Ariſt. 2. Polit. c. 7.

De diſcordia quæ naſcitur ex inæqualitate amoris parentum.

Cap. XI.

CVM caritas, de Apoſtoli ſententia, ſit perfectionis vinculum, ac proinde nos inuicẽ, & cum Deo arctiſsime cõiũgat, vnũq; ſpiritum cum eodem Deo efficiat, nihil eſt, quod magis aduerſarius noſter euertere curet, quam caritatem, eamque magis, quæ maior exiſtit, cuiuſmodi eſt fraterna caritas: ad quam euertẽdam mille adhibet artes, ſexcentas, viribus omnibus connixus, admouet machinas. Sicut enim nihil eſt precioſius Deo virtute dilectionis; ita nihil eſt deſiderabilius diabolo extinctione caritatis. Hinc eſt, quod ad hunc amorem euertendum, non modo ab ipſis fratribus occaſiones ſumit, ſed etiã nonnullas extrinſecus adſciſcit cauſas. Harum igi-

Coloſ. 13.

Dæmon caritatem extinguere ſtudet.

igitur aliquot grauiores & frequentiores percenſebimus, ac quo modo remoueri poſsint, indicabimus. Solēt igitur inter fratres interdum ſuppullulare diſcordiæ, quod alter altero a parentibus diligatur magis. Is enim, qui aliqua ſignificatione ſe minus amari ſentit, paulatim maleuolentia inficitur, & in diſcordias erumpit. Hāc ob cauſam fratres Ioſeph, inuidia impulſi, nō poterant, vt ait ſcriptura, ei quicquam pacifice loqui, quod nimirum a parētibus magis amaretur, & polymita tunica fuiſſet indutus. Initio, ad remouendam hanc diſsidij cauſam, hoc facit, quod ſatis eſſe deberet fratri, qui minus amatur, ſi pro ſuis meritis ipſe ametur, ſignificationibusque cōgruētibus amor ille indicetur. Deinde latentes requirat cauſas, ob quam tam multū ametur frater, ac ipſe quoque magis ſibi amorem conciliet paternum. Nunquid odiſſe diuum Franciſcum chriſtiani poſſunt, ſi iuſte, ſi caſte & pie viuendo, magis a Deo communi parente dilectus, & maioribus donis ſpiritualibus, quam multi alij ornatus fuit? Idem in re propoſita dicas. Inſuper non decet, vt filius, tanquam moroſus quidam cenſor, acta paterna, vt nonnulli filiorum faciunt, notet; ſed quæ a parentibus geruntur approbet, & cum reuerentia ſuſcipiat. Veſtierat Iſrael pro modo omnes filios; ac propterea nihil erat, cur fratres Ioſepho ob polymitam veſtem inuiderent. Non me latet, vſu quandoque venire,

Stephan. Gua. lib. 3.

Parentes diſcordiæ fraternæ ſunt cauſa.

Gen. 37.

De hac veſte lege Philoné.

vt ipſimet parentes diſſenſionum anſam filijs præbeât, dum ob aliquas minutulas rationes, vel ob quaſdam neſcio propenſiones, magis ad vnum, quam ad alium amandum ſe inflectunt: vt alium interdum tanquam idolum quoddam adorent; alium vero tanquam ſuppoſititium & adulterinum, deſpiciant. Quæ res quam longiſsime ab officio abeſt paterno: cum pater omnes filios tanquam ſui parti culas ex ſe vno genitos ęque diligere ac amare deberet. An non patris gloria filius eſt? Suam igitur gloriam infuſcabit pater? Nunquid in filio non viuit pater? Quid ergo in filio ſeipſum non amat? Nunquid filius parentis opus non eſt? Et quis tam ſtultus reperitur, qui opus a ſe factum deſpiciat? Excitabit pater inter filios diſcordias, ad cuius officium pertinet filios in conſenſione retinere? Non negarem tamen, poſſe prudentem parentem meliorem filium magis amare, eiq; magis fauere; ita tamen, vt alterum minus ſtudioſum non comtemnat; ſed id quaſi in pœnam eius, qui minus ſtudioſe viuit, faciat; vt vbi ſenſerit, ſe non æque ac alterum ob ſua errata amari, ad meliorem frugem redeat & ſtudioſior euadat. Sed de parentũ & filiorum officijs non eſt noſtrum hoc loco fuſius differere. Huc etiam facit alia diſcordiæ cauſa, quæ inde naſcitur, quod alter alterum alicuius errati apud parentes deferat; vt & ipſe qui accuſat gratiã aucupetur patris, & vt fratrem

Parẽtes filios contemnere non debent.

De officio Parent. in filios.

Simon de Caſſ. ca. 1. de Iuſt. Chriſtiana.

Iau. in ęcon.

Quando & quomodo pater poſſit vnũ filium magis amare, quàm alium.

Alia diſcordiæ cauſa.

trem inuiſum parenti reddat; quod officium quam longiſsime abeſt a caritate fraterna. Et velle tantum bonum cuiuſmodi eſt paternus amor in ſe vnum cõuertere, maximum furtũ eſt: qua de re inferius aliqua dicentur, cum aliquot recte viuẽdi formulas fratrib. trademus.

De cauſa diſcordiæ, quæ oritur vitio aſſentatorum & ſuſurronum. Cap. XII.

SAPIENTER illud a Q. Curtio memoriæ proditum eſt: ab aſſentatoribus ſępius, quam ab hoſtibus, euerti regnum. Quare, ſi aſſentatores regna euertere conſueuere, multo magis domos, ac ſocietates omnes. Vt merito ſcripſerit Antiſthenes, melius eſſe in κόρακας, ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν, hoc eſt, in coruos, quam in adulatores incidere; quod illi corporis, hĩ animę oculos eruere ſoleant. Propterea Pythagoras hirundines; hoc eſt adulatores, domo pellẽdas eſſe docuit: cum vt Sopater ſcripſit, obeſſe poſsint multum, prodeſſe nihil. Cum igitur adulatorum & ſuſurronum verba ſoleant, vt experientia & viri ſapientes docent plurimum omni humanæ ſocietati obeſſe, ſpeciatim a fratribus hoc genus hominum vitandum eſt, ne vllam in partem

Q. Curtius.

Antiſthen.

Prouerbium

Pythag.

Sopater.

Suſurrones fugiendi.

Eccl.28. tem concordiam violent fraternam. Suſurro bilinguis,ait ſcriptura,maledictus: multos.n. turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Hoc, cum Alexander Seuerus intelligeret, ſemper a ſe adulatores eiecit; dicebatque, ſe non poſſe ſimul adulatore & amico vti. Quare, hi, tanquam domeſtici hoſtes, ſunt repellendi. Solent enim venenatis verbis conſenſionem fraternam, quæ eſt veluti domus ſanitas, inficere. Nam,

Alexander Seuerus expellebat adulatores.

Prou.27.

Ouid. lib. 2. eleg.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Sunt etiam adulatores veluti latrantes canes hominum concordiam dilacerantes. Quo factum eſt, vt apud antiquos pro malo omine haberetur, ſi canis inter duos inambulantes fratres pertranſiſſet. Et Diogenes interrogatus, quæ nam bellua ſeuerius morderet; reſpondit: Ex feris, obtrectator, ex cicuribus, adulator. Quo autem modo adulator ab amico diſcerni queat, nõ eſt huius loci latius exponere: quod ſermone quarto Maximus Tyrius pereleganter explicauit. Huc pertinent etiam ſuſurrationes vxorum, nouercarum, affinium, domeſticorumque omnium; de quibus Chriſtus dixit, eſſe inimicos noſtros: a quibus cauendum eſt, cum aliquid agunt, aut dicunt, quod caritatem fraternam valeat diſſoluere. Solent enim interdum dicere: frater

Diogenes.

Mat.7.

tuus eſt omnia,cuncta pro libidine gubernat, omnes illum ſuſpiciunt, tu in nullo es honore. Tunc, inquit Plutarchus, homo ſanę mentis, diceret: Ego fratrem habeo laude florentem, cuius ad me gloriæ maxima pars pertinet: dignus eſt qui laudetur: mihi prodeſſe multum, obeſſe nihil poteſt, ſi conſpicuus, ſi clarus fuerit. Quare, fœminarum voculis nōn ſinat ſe peruerti frater, ab ipſarum non pendeat iudicio; cum potiſsimum imaginationibus, vt animalia rationis expertia fœminæ ducantur. Eſt fœmina, Malum, quod indicauit ille, qui interrogatus cur fœminam puſilli corporis in vxorem accepiſſet, reſpondit: Ex malis minimum eſſe eligendum. Sunt mulieres animo impotenti, anticipationibus ducuntur, & ad vindictam atq; ad iram pronæ.

Plutar.

Carth. ī reg. mulier.

Pvth. Fœmina malum.

--- *Quod vindicta*

Nemo magis gaudet, quam fęmina.

Et diuina ſcriptura: Non eſt ira ſupra iram mulieris. Propterea oblatas criminationes contra fratrem ſtatim repellat, nec facile credat, ni improbus haberi, & corde leuis eſſe vult. Nam vt Menander dixit,

Iun. ſat. 13. Tiraq. lib. 8. de leg. con. nu. 15. lib. 9. nu. 12.

Eccl. 25.

Eccl. 19.

Qui calumnijs cito credit,
Aut ipſe improbis eſt moribus,
Aut omnino puerile ingenium habet.

Ad hanc rē demonſtrandam fabulantur Poetæ, Pollucem, quendam inſuſurrantem neſcio quid de fratre, non modo repuliſſe, verū etiam trucidaſſe: at chriſtiano repellere ſat

erit:

Platonis. exemplum.

Epictetus.

Tiraquel.

erit: & ita, non facile fidem ſuſurronibus habeat, immo nulla habeat. Imitetur Platonē, qui cum ei a quodã diceretur Xenocratem, eum verbis inſectari; primo negauit ſe credere id verũ eſſe: & cum ille inſtaret, iuraretq;, adiecit: ſe exiſtimare Xenocratem illa non dixiſſe, niſi expediuiſſet. Aut certe conſilium Epicteti amplectatur, quod tale eſt. Si quis deferat, ille de te male dixit, reſponde: Ignorat ille & alia, quæ mihi adſunt mala: alioqui, non hæc ſola diceret. Sed cum inter ceteras perſuaſiones fœminarum & vxorum perſuaſio potentiſsima ſit, ab earũ potiſsimum obtrectationibus & ſuſurrationibus caueat, nec eas ſinat in aures influere: ſciatque nihil ſtultius eſſe poſſe, quam ſi vir muliebris ſtultitiæ ſe adminiſtrum præbeat. Homini itaque ad patriam feſtinanti mortiferos iſtarum ſirenarum cantus ſurda aure tranſire neceſſe eſt. Sed latius fęminarum dolos & artes, ſi quis cognoſcere cupiat, præter alia loca quæ afferri poſſent, legat quæ congeſsit Tiraquellus in libris de legibus connubialibus. Nos quædam alia ad rem noſtram pertinentia, inferius ſuo loco afferemus.

Matres

Matres debere alere ſuos filios, ne fratres euadant moribus diſſimiles. *Cap. XIII.*

INTER alias cauſas ob quas fratres ſimiles eſſe deberent, ac proinde ſe mutuo amare, cum amoris præcipua ratio ſit ſimilitudo, eam ſapientes aſsignant, quod ex iiſdē parentibus, & ex eodem vtero, tanquam ex eodem fonte riuuli, originem ducant ſuam. Sed quid eſt, vt plerunque aliter res cadat? cum ſint ſæpe & corpore, & animo disſimiles, ac propterea parum conueniant; id nimirum quod matres, aut, vt rectius loquar, ſemimatres, ſuos filios a proprio lacte, vbi eos pepererunt, depellunt, & extraneis mali ſucci fœminis inficiendos tradunt. Etenim nutricum lac, ſi non ſit materno lacti ſimile, corporis conſtitutionem mutat, & corrumpit; ex quo fit, vt aliæ propēſiones, & mores alij in tenero adhuc puero ab illis, quos habuiſſet, ſi a matre fuiſſet nutritus, longe diuerſi conſurgant. Quam rem nemo eorum qui de œconomia, & filiorum educatione diſputarunt, non animaduertit. Quod autem nutrimenti ratio varie corpus afficiat,

Similitudo amoris cauſa.

Alia diſcordiæ cauſa, quòd à matribus non nutriantur.

Iauel. in œconom. tr. 3. c. 2.

non modo ſcriptorum docet auctoritas, ſed etiam ipſa experientia commonſtrat. Nam ſi hœdi, ouium, aut agni caprarum lacte nutriãtur; in his lana durior, in illis pili teneriores creſcunt. Imo ipſi parentes, cum adimaduertant degeneres in filijs, mores, dicere conſueuere: Tu non es filius meus, ego non te genui. Genuiſti quidem, ſed non aluiſti, peperiſti, ſed moribus non informaſti: & hinc eſt, quod tuus filius, tibi non videatur tuus. Et quis eſt qui ignoret nutrices vna cum lacte mores etiã pueris inſtillare? & quos inſtillabit ruſtica & male morata nutrix? Quare merito apud veteres matres, ſceleris loco habebatur, proprio lacte filios non nutrire. Matres itaque ipſæ olim nutrices ſuorum filiorum erant, quod intelligerent filiorum ingenuitatẽ potiſsimũ a matribus proficiſci quod ſiquas adhibebant educationis magiſtras, ſolas laconicas adhibebant, de quibus illud fertur prouerbiũ: ſolas lacenas viros parere. Ferendum tamen eſſet, ſi qua iuſta de cauſa id iſtæ ſemimatres facerent. Ea enim potiſsime ad id faciendum ducuntur ratione, ne mãmarum ornamenta amittant, & minus venuſtæ ac bellæ appareant. Grauis ſane ratio ad reijciẽdum a ſe proprios fœtus: vrgens ſane cauſa ad tradendum teneros pueros malis nutricibus inficiẽdos. Sunt etiã aliquę, quę ideo filios lactare nolunt, vt citius ad incontinentiã eis redire liceat; quam prauam conſuetudinem

Nutrimenti diuerſitas mores mutat

Nutrices pueros inficiunt.

Matres quę filios non alũt reprehendũtur.

Alex. ab Alexan.

D. 5. c. fin.

nem ſacri quoque canones vituperant. Ignorant iſtæ non minus ad naturæ legem pertinere filios enutrire, quam gignere; cum natura nihil imperfectum velit. Nutriant ergo ac inſtituant, illos eoſdem quos pepererunt, ni naturæ ſacras leges violare volunt. Aues ex proprio gutture, cibo alias ſibi neceſſario, educto, filios paſcunt; mulieres ſuperfluo ſucco a natura ad alendos fœtus inſtituto, filios non lactabunt? ſed herbis quibuſdam illos naturæ fontes, vt aſſolent, exiccabunt? Non vident præterea, quanta ſe voluptate & oblectatione priuent, quam a paruulis filijs, ſi eos alerent & educarent, eis haurire liceret. Quid enim poteſt animum a varijs curis oppreſſum magis exhilarare, quam bleſus puerorum ſermo, riſus, ſuauitas, feſtiuitas, dulces amplexus, grataq; ſuauia? quorum etiam geſtus ſuauitudine quadam animos defeſſos recreant; quod ſignificaſſe videntur antiqui, qui circa voluptatum Deam, Cupidinem & Iocum pueros pingebant. Hinc Horatius.

Ariſt. 1. Pol.

Pueri iocoſi, & melliti.

Venus quomodo ab antiquis picta.

Siue tu mauis Ericina ridens,
Quam Iocus circum volat & Cupido.

Quamobrem dum filios ſuos matres lactare nolunt, eos corpore & animo infici ſinunt, naturæ leges frangunt, ſe ſumma delectatione priuãt, cauſaq; diſsimilitudinis, & diſſenſionis filiorum exiſtunt: vt iam non mihi uideatur verum, quod in phœniſsis ſcripſit Euripides.

Euripides.

Καὶ φιλότεκνόν πῶς πᾶν γυναικεῖον γένος.
Hoc eſt;

Natos fœmineum diligit omne genus.
Ad hanc igitur cauſam fraternæ diſcordię remouendam matres ſuos filios, ne feris & beſtijs videantur crudeliores, proprio lacte a parente natura ad id ipſis conceſſo, nutriant, eoſq; a paruulis liberaliter inſtituant. Et hęc pauca de hac cauſa admonuiſſe ſufficiat.

Demonſtratur conferre ad concordiã fraternam conſeruandam, ſi fratres ſimul uixerint. Cap. XIIII.

GRAVES ſane cauſas diſcordiæ fraternæ hactenus percenſuimus, ſed quę nũc explicanda eſt, ni inter alias prima exiſtit, ſaltem non eſt ſecunda. Et quę nã eſt? Auaritia; quam deſcribens Seneca, dixit: Quæ ab alijs abſtrahit, ſibiipſi negat. Quod vitium quamuis in omni negocio humano ſe immiſceat, nullibi tamẽ æque, atque in hæreditate hercíſcunda vires exercet ſuas. Interpone, inquit Epictetus apud Arianum, inter patrem & filium agellũ, & tunc intelliges an vere amẽt. Veluti ſi quis inter catulos ſibi caudis blandientes & colludentes tantillum carnis proijceret, quos ſtatim

Seneca Auaritia qd.

Epictetus.

tim ſe mutuo mordentes cerneret. Quare ſapienter Chilo, aurum indicem appellauit, qđ hominem probet. Vbicunque ergo eſt ego, & meum; tu, & tuum, ceſſant vt plurimum etiam amores maximi. O voces humano generi infauſtæ, infeſtæ, & infelices? quæ ex veteribus monumentis, ex exeſis iam cartis, ex obſoletis ſcriniјs, ex exoleſcentibus litteris eruuntur, & ex teſtibus violentia, atque corruptela extorquentur. Quot quantaſque rixas, & pugnas inter homines excitaſtis? quot quantarumq; cędium genitrices fuiſtis? quo ore, quibus clamoribus intonantur, meū & tuum? Sed quid mirum, cum omnes illud in ore habeant, quod quidam poëta, hoc carmine expreſsit.

Meum, & tuū diſcordię cauſa.

ψυχὴ βροτοῖσιν αἷμα τ' ἐστιν ἄργυρος.

Timocles.

Hoc eſt,

Spiritus & ſanguis eſt mortalibus pecunia.

Quare, cum auaritia, ut Bion voluit, ſit μητρόπολις πάσης κακίας idest metropolis omnis malitiæ, & radix omniū malorū maxima, nō eſt mirum, ſi maximam caritatē euertat, ſed potius ipſa extirpanda ac euellenda eſt, vt omnia cum ipſa extrahantur ſcelera. Hanc, ſi qs a ſocietate eiecerit fraterna, a multis diſſenſionibus eam liberabit. Nos autem hoc loco demonſtrabimus prius expedire fratribus ſi vna permanſerint, deinde ſi ſeſe diſſociare voluerint, quædam trademus præcepta, ad

Bion.

Auatitia [illegible] perata.

remouendas in patrimonij diuiſione diſcordiæ cauſas. Primum igitur, quantum fieri poteſt, fratres ſimul habitent, & vnam rem, domumque vnam vna conſeruent. Quæ res non modo ad retinendam concordiam faciet, ſed etiam ad patrimonium amplificandum conferet. Tunc enim vnicum vnius familiæ corpus duos oculos, duas manus, duos pedes, duos cuſtodes, & rectores habebit duos, qđ corpus ſine altero fratre eſſet mācum, mutilatum, & claudum. Ei qui fratre caret ſeruos & mercenarios interdum adſciſcere neceſſe eſt, quorum rara eſt fides, diligentia & cura leuis. Mercenario non eſt cura de ouibus. Vna domus, vnus focus, vnum lumen vni familiæ ſatis ſunt; duabus vero nequaquam. Denique multa & maxima res domeſtica ex hac vnione, vt ipſa experientia docet, capit commoda. Quæ enim domus etiam florentiſsima ex rei domeſticæ diuiſione non eſt imminuta & diſsipata? Hoc intellexerunt prudentes illi legiſlatores, qui patrimonij diuiſionē ſanctiſsimis legibus prohibuerunt. Vbi vero talis lex nō viget, teſtatores fere omnes, quātum poſſunt, prohibent, ne res auita a propria familia ad aliam transferatur. Vt enim vires congregatæ creſcunt, diſiunctæ dilabūtur, pariter & opes. Et quis non videat, fore vt tunc corpus cadat, quando eius in varias partes diſtrahuntur ac diſsipantur membra? Ex quibus colligitur, quam bene nos docuerit

Fratribus expedire ſimul manere.

Ioan. 10.

Patrimonij diuiſio damnata.

ſcriptura,

ſcriptura, cum dixit: Meliorem eſſe vicinum iuxta, quam fratrem procul. Hãc, quam hoc loco docemus veritatem, luculenter indicauit Scilurus; qui iam morti uicinus, virgarũ faſciculum filijs confringendum dedit: & cũ iam defeſsi eſſent, nihilque effeciſſent; ipſe faſciculo ſoluto, ſingulas ſine labore fregit. Quo facto, quãtum vnio valeat fraterna plane indicauit, quod dum vniti manent frangi germani nequeant. Solent præterea huiuſmodi patrimonij diuiſiones diſplicere parentibus, ſi adhuc ſuperſtites ſint, quod ex illuſtri exemplo Iuliæ Seueri Imperatoris vxoris patet, quæ cum non potuiſſet Getam, & Antonium filios a contentione, & Imperij diuiſione reuocare, talem ad eos orationem habuit. Terram quidem & mare, o filij iam inueniſtis quo pacto diuidatis, matrẽ vero, quonam modo diuidetis? quonam modo infelix ego diſtribuar inter vtrunque veſtrum? Me primam igitur occidite, dimidiamque vterq; apud ſe partem ſepeliat. Alia quæ huc facerent, capite decimo ſeptimo poſtea tradentur. Quod ſi qua ex communi habitatione oritur diſſenſionis cauſa; non propterea ſtatim hæc fraterna ſocietas, quæ tanti facienda eſt, diſſoluenda erit, ſed remedia idonea neceſſe eſt inuenire, quibus diſcordiæ, ſi quæ ſunt, tollantur. Nihil tamen eſt, vt arbitror, qđ magis ad diſſoluẽdam hãc conſociationẽ fratres impellat, quam φιλαυτία ideſt, amor

Prou. 27.

Stobeus. Simile ad demonſtrãdum quãtum concordia fraterna ualeat.

Herodian. libro 4. Iuliæ oratio ad filios, qui imperium diuiſerunt.

Amoris ſui deſcriptio. ſui, cuius hæc eſt natura, ut ſe totum intro conferat, & vniuerſam in ſe flammam reuocet, & in penetralibus pectoris ſe cohibeat, nec ſe ad alios promat; ita ut omnia externa rigeant, impletionẽ mandatorũ diuinorũ hic amor ſpernit, cunctas leges violat, & ciuitatẽ Babel ædificat vſq; ad contemptum Dei. Verum, ſi quis diligentius attendat, videbit neminẽ minus ſe amare, quam qui hoc ſe amore amat. Aug. Amat hic amor poſſeſsiones, honores, & gratias; animum vero, qui ſolus ipſe homo eſt, & animi ornamenta, quæ ſola ſunt vera hominis bona, non amat. Amor ſui vituperatus. Plat. in Alc. 1 Hac igitur peſsima animi labe ſi fratres ſe mundarent, nulla fere inter eos oriretur diſsẽſionis cauſa. Si tandem eo deuenerunt, vt nulla ratione ſine contentione ſimul viuere queant, rem diuidant paternam, ac ſeorſim habitent, quod prudenter Abraham, & Loth feciſſe legimus. Gen. c. 13 Vt autem cum pace hæc diuiſio fiat, poterunt fratres hæc animaduertere, quę nunc tradimus præcepta.

De modo ſeruando in patrimonij diuiſione, ne qua inter diuidendum oriatur diſcordia. Cap. XV.

SI hanc Muſonij ſententiam fratres diligenter conſiderarent: nullam eſſe poſſeſsionem fratris poſſeſsione meliorem; nunquam profecto, ne tanta tamque frugifera poſſeſsione ſe priuarent, ſeipſos diſſociarent. Nam, ſi, vt vere M. Tullius ſcripſit, ſtultum eſt fortunę bona ſibi acquirere, amicos vero optimam & pulcherrimam vitæ ſupellectilem ſibi non parare; multo ſtultiſsimum profecto erit, vel fratrem a ſe abdicare, aut propter fortunę bona ſibi inimicum reddere. Ne igitur patrimonij partitio animũ quoque fraternum diuidat, ante diuidendum, propoſitam habeant iuſtitiam, quæ vt diuus Hilarius ſcripſit, eſt concordiæ, & vnanimitatis vinculum. Etenim ſi quiſque fratrum rebus ſuis contentus erit, nulla inter diuidendum orietur diſcordia. Præterea non ita ſe parent ad hoc negocium peragendum, quaſi bellum inter ſe geſturi, & fraudibus maliſq; artibus vſuri. Sunt enim aliqui fratres, qui inique & inhumane prorſus, calliditate & aſtutia quadam germani partem, aut partis tã tillum ſibi adſciſcere ſtudent: nec deſunt qui

[Margin notes: Muſonius. — Cic. in Læli. — Primum prȩceptum. — Aliud præceptum.]

de

de hac fraude glorientur, ſeque magnum quid feciſſe arbitrentur. O præclarum facinus? O egregiam laudem? vafre, & malitioſe amplius iuſto de communi hereditate ſubtraxiſſe. Deinde, ad diuiſionem hæreditatis eo animo bonus accedat frater, vt pro concordia & beneuolentia fraterna conſeruanda velit aliquid detrimenti in his quę diuiduntur bonis capere, ſi opus fuerit. Perde pecuniam, ait ſcriptura, propter fratrem & amicum tuũ. Ceſsit quidam uir prudens, vt Viues refert, in lite decem ducatorum millium aduerſario, ne ſibi & aduerſario litigando duram & acerbam vitã fabricaret. Huc pertinet Athenodori factum, ob quod merito ſummis celebratur laudibus. Is nanque Xenoni fratri, cuius ob varia ſcelera hæreditatis partem fiſcus inuaſerat, partem ſuam, quamuis ab eo multis iniurijs in diuiſione patrimonij fuiſſet affectus, diuiſit. Ad hæc, turpiſsimum eſſe exiſtimet, pro minimis rebus, vt ob lancem, patellam, cocleare, & furcinulam cum fratre digladiari; vt de duobus fratribus refert Plutarchus, qui ita odio & ira in diuidendo patrimonio exarſerunt, vt poculum, & veſtes duas in partes diuiſerint: & ego de duobus alijs audiui, pyrolaben duas in partes diuiſiſſe: & a quodam fide digno accepi, duos alios fratres ĩ patrimonij diuiſione ita de ſtrigili altercatos fuiſſe, vt tandem alter ab altero fuerit occiſus. Nolint itaque fratres omnia

Alium præceptum.

Exemplum. Viues. Plut.

Amoris fraterni exẽplũ.

Aliud præceptum.

Exempla auaritiæ in diuidendo patrimonio.

ad tenue limare, atq; cuiuſq; minutiſsimæ rei partem perquirere, ac auorum, & atauorum ſcripturas recēſere, & omnes rationes ſubtilius examinare. Audiant prudentem poetam, ad rem, ſic canentem: Tib. lib. 1. Eleg. 1.

Non ego diuitias patrū, fructusq́; requiro,
Quos tulit antiquo condita meßis auo
Parua ſeges ſatis eſt.

Præſtat itaque amantem & pauperem dici, quam fratris oſorem, & diuitem. Nemo cariorem habeat pecuniam, quam fratrem, cū illa inſipiens ſit, is vero ſapiens: illa egeat adiutorio, is vero iuuare poſsit: illa augeri queat, is vnus ſit. Xenophon. Hoc loco illud animaduerſione dignum eſſe videtur, quod interdum non tam ob auaritiam & habendi cupiditatem, quam ob falſam quādam perſuaſionem, ſeu inanitatem in hac patrimonij diuiſione oriuntur inter fratres altercationes. Animaduerſio notanda. Nam dū omnia bona ſunt communia, ac indiuiſa manent, agnoſcunt ſe omnium eſſe dominos, putantque omnia eſſe quouis modo ſua. Quādo autem ad diuiſionem venitur, & vident ſe vna parte, qua ut ſua vtebantur priuari, & nihil de nouo acquirere, ægre omnino ferunt; non ſecus ac ſi uere re priuarentur ſua. Aliud præceptum. Recte igitur in hac re eſt ſentiendum; & id ſuum eſſe exiſtimare oportet, quod ſibi iure debetur. Hac inanitate non laborabat ille, qui interrogatus, an eſſent ſibi pecuniæ, reſpondit, ſe duplo plures habere, quam uellet, quod Stephā. nig. Pittacus.

morſ ei fratrem rapuerat. Non ergo iniquo animo ferat, ſi ea parte carebit, quæ iure fratri obtigit. Vbi autem diuiſio facienda eſt, ſi præſentiant non poſſe per ſe amice & cum pace rem herciſcere, uiris prudentibus utrinque uocatis, hoc munus demandent, & eorum prudenti acquieſcant iudicio. Ad hæc, cum quis partem ſuam habuerit, ea contentus ſit, nec inhiet alterius fratris parti. Acceptis itaque rebus ſuis, eis utatur parce, nec tanquam lupus uoret. Solent enim aliqui fratres prodigaliter ſuam dilapidare ſubſtantiam, dum de bonis fraternis occupandis cogitant, in quæ rapacibus unguibus inuadere, & tanquã Briarei, centum manus inijcere ſperant. Quod ſi eis nõ ſuccedat, ſtatim de fratre conqueruntur, ingratum, etiam ſi iure aliquid eis deneget, appellant; quo uitio nullum homini poteſt adſcribi maius. Exclamant denique, ac conqueruntur, etiam ſi honeſtam patiantur repulſam. Si autem admittantur, exhauriũt & expilant omnia. Sicut enim cardamus, omnem aliarum herbarum humorẽ ad ſe trahit, quo fit ut uicinæ areſcant herbæ; ita quidam fratres omnia ad ſe fratris bona trahere concupiſcunt, neſcientes nullam eſſe in amicitia peſtem pecuniæ cupiditate maiorẽ. Solent hac calamitate præcipue clerici laborare, cum quidquid, etiam ſuum defraudando genium, corrogauerint, eorum fratres, & conſanguinei corrodere cõtinenter ſtudeãt. Quaſi

Aliud præceptum.

Aliud præceptum.

Camp. lib. de ingratitudine.

Heſio. lib. 1. op. & dier.

Colum. lib. 1. cap. 3.

Cicero.

Quaſi clericorum ſit fratrum cupiditatem ex plere, & eccleſiarum cenſus pauperibus poſt habitis, in affinium luxum conuertere. Vnde prouerbium illud. Felix illa domus, in qua eſt aliquod abraſum caput: ſed, ſi quod experientia ſæpe docuit ſpectemus, conuertere interdum liceret prouerbium iſtud: Dum enim bonis illis, quæ in clerici uſum, & Eccleſiæ ac pauperum commoditatem a fidelibus elargita ſunt, clericorum affines abutuntur, ac in profanos vſus conuertunt, diuinam in ſe excitant iram, ac uindictam prouocant. Intelligant clerici, aduertant propinqui, quid ſibi velit illud abraſum caput, quod nihil aliud ſignificat, quam rerum caducarum & ſuperfluarum ſectionem quandam. Ad eum ergo pertinebit aliorum luxui prouidere, qui rebus ſuperfluis renunciauit omnibus? Debebit aliorum cupiditati ſatisfacere is, cui ſpeciatim dictum eſt, ut uendat, quæ habet, & ſequatur Chriſtum? Bona paterna & mundū deſeret, ut tandem Chriſti bona quæ adeptus eſt, fratribus donet, & a Chriſto ad mūdū deficiat? Hæc ſi præſtare clericus erga fratres debet, quomodo Chriſti erit diſcipulus, cum ipſe dixerit, eos qui plus fratres, quā ſe amāt, ſuos non poſſe eſſe diſcipulos? O peruerſitatem? o corruptelam? fouere debebit luxū in alijs, qui in ſe & alijs omnem ſuperfluitatem debet amputare. Potius itaque affines, religioſo affini neceſſaria ad uitæ ſuſtentationē

Contra eos qui eccleſiæ bonis abutuntur.

Corona clericorū quid ſignificet.

Clericos non debere prouidere luxui conſanguineorum.

ſub-

ſubminiſtrent, ut ille minus ſecularibus nego tijs implicatus, feruentius Deo inſeruiat, ac diuinum numen ab eis auerſum ſacrificijs placet. Hæc attingere uolui, quod non ſim ignarus, quam ſępiſsime inter fratres clericos, & ſeculares ob cauſam ſuperius poſitam non leues oriri ſolere diſcordias. Et de cauſis diſſidij fraterni hæc diſputaſſe ſufficiat, ſi quæ aliæ ſunt aut ex his quæ diximus, aut ex his quæ dicentur remoueri poterunt. Sed cum aliquãdo cõtingat ut quis in improbũ, & petulantem fratrem incidat, cuius acerbitatem non facile eſt ferre, utile eſſe duxi, aliquot præſcribere regulas, quibus hac in parte fraternæ conſulerem concordiæ.

Quo modo malus frater ſit ferendus. *Cap. XVI.*

Epictetus.

PRVDENTER, ac uere ab Epicteto memoriæ proditum fuit, duas quamcunque rem habere anſas: alteram, qua ferri poteſt, alteram, qua ferri nõ poteſt: & homines in eo peccare, quod apprehendant rerum anſam, qua ferri poſſunt. In eandem fere ſententiam, ut eſt apud Arianum, idem dixt; in rebus aduerſis opus eſſe Mercuriali uirga, ideſt bona & ſtabili uoluntate, qua omnia aduerſa in utilita-

Res omnes duas habent anſas.

Arian. lib. 3. cap. 20.

Duo remedia.

tem conuertuntur, ſicut uirgæ illius tactu in aurum conuertebantur omnia. Et priorem quidem ſentẽtiam ſic declarabat. Si frater, inquit, iniurius eſt, ne inde eum capias, unde ferri non poteſt; ſed inde magis, quod frater eſt, & tecum educatus. Poſteriorem vero ſic exponebat. Dicet quis, mihi malus eſt uicinus, ſed mihi bonus: pater mihi malus, mihi bonus. Hac Mercuriali uirga quidquid tetigeris aureum erit: Quod uoles accipe, & ego bonum efficiam. Ex qua doctrina duo idonea colliguntur remedia ad tollerandum petulantem fratrem; quorum alterum eſt, quoniam cum frater nunquã ſit ita undequaque malus, quin aliquid in ſe boni habeat, ob quod amari poſsit, ac debeat, hac anſa qua ferri poteſt capiendus erit. Alterum remedium eſt ſtabilis ac firma uoluntas, qua quis ſemel apud ſe ſtatuit, auxiliante patientia, quæ eſt antidotum uitæ, ſe nolle ulli aduerſæ rei ſuccumbere, ita ut quidquid acciderit, illud ſocraticum uerbum uelit habere in ore: Hoc uolo. Diceres; quanam ratione poſſum aut debeo iniquum, & ſceleroſum fratrem amare? Placet, quod uitia fratris, quippe quæ eum tibi minus amabilem reddant, quẽ prorſus uelles amare, deteſteris: ſed diſplicet te in eo nõ id amare, quod eſt amandũ, imago nimirum Dei, ſimilitudoque tua, cum nihil ſit in natura amicius, aut gratius, quam ſuum ſimile. Similium uero ea eſt natura, ut congre-

Duo remedia.

Remedium optimum ad ferenda omnia incommoda.

Patientia antidotũ uitę.

Socrates.

gen-

Similitẽ natura quę. gentur, facileque inter ſe commutentur. Diſplicet te fratrem tunc a te repellere cú, ut cum maxime tua cultura eget. Diſplicet te ſocij tibi à natura traditi curam habere nolle.

Alia ratio. Nunquid germanum corpore ægrotantem abijceres? nunquid de eius valetudine non eſſes ſolicitus? & ſi vi morbi actus, te percuteret, nonne ferres? eundem animo ægrotantem, quantum in te eſt, non ſanabis, non feres? Si natura tibi commendaſſet equum,

Simile. nunquid ſtrigoſum & ſordidum eſſe ſineres? fratrem autem quem tibi Deus commendauit, in luto hærere permittes? Qui ſub eodem

Hiero. epiſt. ad Lętam. iugo ſunt, inquit Hieronymus, ita debent currere, ne in luto cõſortem derelinquant. Comparem tibi a natura cõceſſum deſeres, & alijs

Ciconiarum natura. Opuſcul. trip. par. 3. te commiſces? quod vitium etiam ipſæ ciconię, quadam naturæ propenſione, caſtigant, dum in eam, quæ ſociam reliquit, ſæuiunt, eamque roſtris deplumant. Neque mihi ruſtice cum illo ruſtico fratre dicas. Nunquid

Geneſ. 4. Lege Oreſies. li. de inſt. monac. M. Ant. Imp. cuſtos fratris mei ſum ego? Hominis naturę eſt, vt omnium hominum curam gerat: nati ſumus inuicem, vnus alterius gratia. Fratrem itaque tibi a Deo commendatum, ſi dignus eſt, ama, quia dignus eſt, quem ames; ſi indignus, ama, quia Deus dignus eſt, cui pareas. Nunquid illi magis iraſci conuenit, ſi malus eſt; an potius miſereri? Munda igitur ſordidum, inſtrue ignarum, ſuſtine labentem, erigeque lapſum. Agrum purgant homines

mines a ſpinis, immunditias a veſtibus excutiunt, equum ſordidum eſſe non ferunt, & fratris animum omni cura per ſe & per alios mũdare, & expurgare non curabunt? Scito deinde, vt luculenter Plutarchus ſcripſit, in omni genere amicitiæ ſe inſinuare vitium, & bonos de ſententia eorum qui recte ſapiunt, eſſe paucos: quia, vt ait Sophocles, Boni pauci. Plat. in epim. Teodoretus li. 12. de cur. græc. affect. Sophocles.

Mortalium res ſi cunctas examines,
Inuenies in pleriſque turpitudinem.

Et Iuuenalis ſat. 13.

Rari quippe boni: numero vix totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Propterea nullam fere poteris inire ſocietatem, in qua non ſit aliquis, aliquo vitio infectus. Mala igitur domeſtica potius, quam aliena ferenda ſunt, maxime cum ad id pietas, & neceſsitas conſtringit aliqua. Ignoſcendum eſt aliquam in partem fratri; is, qui melior eſt, hoc onus ferat; quod ſi ipſe depoſuerit, quis ſuſcipiet? ſi frater, fratrem non corrigit, quis corriget? ſi tu deuiare permittis, quis in viam reuocabit? Siccine te peccantem Deus deſpicit? ſiccine, vt tu fratrem, te repellit, qui te ouem perditam tanta cura requirit, & inuentam humeris impoſitam geſtat? Caue ne tibi cõtingant, quod ſcriptura de eo, qui ſua culpa perdit amicum, dicit. Et ſicut qui dimittit auem de manu ſua, ſic dereliquiſti proximum, & non eum capies. Non illum ſequaris, quoniam longe abeſt: effugit enim quaſi ca- Six. Pont. epiſ. 5. Eccl. 27.

prea de laqueo, quoniam vulnerata eſt anima eius. Vltra eum non poteris colligere, & maledicti eſt recordatio. Alloquere ergo fratrem tuum, etiam in te petulantiſsimum, hũc in modum:

Homer. Odiſ.5. *Non ego deſerere, aut miſerum te relinquere poſſum.*

Aeſchilus in trag. Aulus Gel.li. 2. c. 6. Nec vnquam adeo homines mali ſunt, quin aliquid boni faciant, aut dicant. Nanq;

Sępe etiam ſtultus fuit oportuna locutus.

Et Martialis lib.7.epig.ad Seuerum

Quid Nerone peius?
Quid Thermis melius Neronianis?

Plutarchus. Nunquam vidimus, ait Piutarchus, duos fratres ex eodem patre eademq; matre genitos, quorum alter eſſet Stoicus, ſapiens, prudens, pulcher, diues & honeſtus; alter uero contra Epicureus, inſipiens, imprudens, turpis, pauper, & inhoneſtus. Quare, ſi fratris conditionem non occultaueris, ſi eius bona non compreſſeris, aliquid in eo reperies, cur ames; aliquam nanciſceris anſam, qua eum capias, & ſaltem nunquam negare poteris, quin ſit ex eodem utero genitus, eodem lacte altus, eadẽ domo educatus, eadẽq; diſciplina inſtructus; quæ omnia, etiam ſi uitijs ſit infectus, ut eius curam geras, ut eum ſuſtineas, ut ames, te permouere deberent. Titus Veſpaſianus Domitianum fratrem de ſe male loquentẽ, & exercitum ad rebellionem incitantem, licet hęc nõ ignorauerit, ſemper eodem loco habuit, & ab

Exemplum amoris fraterni.

alijs haberi uoluit, & conſortem, ac ſucceſſorem regni appellauit, atque ſeorſim non ſine lacrymis ab eo magnis precibus obteſtatus eſt, ut in ſe eo animo eſſe vellet, quo ipſe in eũ erat. Quid diceret Chriſtianus ad tam ſingulare ethnici hominis exemplum? Et Cæſarem dictatorem Metello Tribuno plebis voluntati ſuæ reſiſtenti dixiſſe ſcribitur. Nunquam efficies, ut iram Cæſaris mereare. Gẽtilis extraneo gentili hæc dicere potuit, Chriſtianus fratri chriſtiano non poterit? Canem tibi infenſum, ait Sotion, mitigare conaris, ut fiat benignior, eodem officio erga fratrem non uteris? Non dedignaris efferatas animãtes cicuratione manſuetiores reddere, & fraternam feritatem, ut cum fratre concorditer viuas, non cicurabis? cum hoc tibi a Deo præcipiatur, illud uero nequaquam. Si canis tibi eſſet ad ouium tuarum curam, atque cuſtodiam, qui paſtoribus quidem blandiretur, te vero ad caulas adeuntem adoriretur, nonne ira, & indignatione extincta, omni blanditiarum genere mitigares fratrem tibi bono futurum, ſi tecum pacate uiueret beneuolum tibi reddere nõ curabis? Diceres: ego ſum homo pacato animo, honeſtus, gratus; frater vero, cõtra: Sed nõ recte ita loqueris, ait Hierocles. Primum, forte res nõ ita, vt ais, habet, ac philautia, quæ in proprijs virtutibus extollendis, alieniſque minuendis ſæpe errat, te decipit. Caue itaque ne ſis foris Argus, & domi talpa.

Exemplum patientiæ.

Simile. Sotion.

Simile.

Hierocles.

mi talpa. Sit deinde, vt tibi arrogas, & illi adſcribis: ſed tunc rem ita habere demonſtrabis; quãdo re ipſa id oſtendes, ſi fratrem corriges, ſi feres, ſi a te non repelles, ſi quæ ſunt

Rom. 12. in eo amore digna amabis, ſi carbonibus ignis, hoc eſt beneficijs in caput eius congeſtis, tibi pacatum gratumque reddes; ſi denique agnoſces te quoque eſſe hominem, & habere aliquid vitij, quod in te ſit ferendum.

Ennodius. Nemo, ait Ennodius, recte monitoris perſonam accipit, niſi qui actibus ſuis errata condemnat, & amorem innocentiæ conuerſatione demonſtrat.

Chryſ. legen. ſer. quomodo frater infenſus ſit ferendus t. 5. Patientiæ exemplum.

Cum frater in te ſæuit, agnoſce animi ægritudinem, cura ægrotantem, excipe eum cum lacrymis, ne eum ira repellat, quem caritas debet amplecti. Dic fratri in te ſæuienti, quod Socrates ei, qui ſe moriturũ exclamauerat, niſi de ipſo ſe vlciſceretur: At ego, niſi te mihi effecero amicum, moriar.

Fraterna beneuolentia quomodo cõciliãda.

Quod ſi beneuolentia fraterna eſſet aliqua cõtentione interrupta, eamq; conciliare cum fratre tibi noxio velles, & nolles tu prius eũ prouocare, ne uidereris te ei ſummittere, ne quid ignominiæ inde referres; quid cogites, vide. Videris enim te velle, humanitate, & manſuetudine ab eo vinci, cui te virtute prꝑſtare profiteris. An non is debet præuenire, qui magis idoneus apparet? quique bono debet uincere malum? cum minus idonei nullo meliore modo, quam eis aliquid condonando, & prꝑſtando ad conciliationem alliciantur.

Socrates. Si uelles

les dum peregre proficiſceris, excipi ab alijs hoſpitio, quidnam faceres? certe, tu alios prius exciperes: ſi velles alium te ad cœnam vocare; certe tu prius eidem cœnam parares. Pari tu quoque ratione, ſi velles tuum fratrẽ te blande alloqui, tu eum prius alloquere. Hæc adnotare volui, quod hác ob cauſam ſępe numero fraternas conciliationes impediri ſciam. Si deinde mihi diceres: ſi omnia prę ſtitero, ſi quantum in me eſt fecero, vt petulantem & moroſum fratrem emendem, nunquam tamen reſipiſcet, ſemper erit mihi inſenſus, & non ferendus. Caue in primis, ne tam uitia, quam frater tibi moleſta ſint; nec enim facile eſt, eiuſdem odiſſe uitia, & ſimul amare naturam: mores caritas damnat, non hominem. Deinde, ſemper ſperare debes te profuturum, etiam ſi alias fruſtra conatus es, cum hominis natura ſit flexibilis. Cauſa eſt magni ponderis, cum in ea de animi tui tranquillitate, de officio, deque fratris tui ſalute agatur. Non ſat eſt ſemel, & iterum, & tertiũ, frigide arcem huius cauſę inuaſiſſe; idem ſæpius cum ardore, uarijs machinis, & artibus conandum eſt. Lex uetus pręcipiebat Iudęis, ne inimicorũ lapſa iumẽta negligerent: tu autem fratrem tuum a diabolo deiectum, & non ſuper terram, ſed ſuper peccati barathrum iacentem videbis, & tua exhortatione non reuelles? admonitionem tuam non adhibebis? alios in auxilium nõ uo-

Simile.

Fratris emẽdatio non dẽ ſperanda.

Chryſ. hom. 43. in geneſ.

cabis? ut a faucibus beſtiæ membrum tuum eruere & ad ſuam reducere nobilitatem ualeas: ut & ipſe ſit quando tu in laqueos mali dæmonis cecideris poſsis habere aliquem, qui te iuuet, & a manibus inimici liberet. Frater, ait Bernardus, infirmitatem fratris ferens, eſt uere fratrum amator. Nunquam igitur de ſalute, & emendatione fratris ſpem abijcias. Nam,

Iſychius in Leu. li. 7. c. 25

Gal. 6.

Ber. ſerm. 12. in cant.

Proſper.

Vt morbo oppreſſis ſperãda eſt cura medẽdis,
Donec in ægroto corpore vita manet:
Sic prauis multa vitiorum mole grauatis.

Tandem, ſi quis uel minima caritate eſſet incenſus chriſtiana, ubi quod in ſe fuit, ut fratrem ad bonam frugẽ reuocaret, feciſſet, patienter petulantiam & acerbitatem eius ferret, ageretque Deo gratias, quod exercendæ præſtantiſsimæ & ſummæ uirtutis, patientiæ nimirũ, ſibi occaſionem dederit; quo officij genere homines ſibi cariſsimos beneficentiſſimus dominus ornare conſueuit; cuius uirtutis quantæ ſint utilitates & commoda, non eſt huius loci latius explicare. Et ut recte hoc caput concludamus, hæc Epicteti uerba adijcere placet. Si quis, ait ille, ad iraſcendum me exerceat, ex eo ſcilicet fructum percipiam nullum? Iſtud nimirum eſt ignorare, an ab hominibus percipiatur utilitas. Multa alia, quæ ad hoc caput pertinerent, ſparſim in alijs capitibus huius operis ſcripta reperies.

Quid agendum ni corrigatur.

Carth. lib. de rem. tenta. ar. 9.

Epictetus.

Demonſtratur quam turpe ſit odium fraternum. Cap. XVII.

QVEMADMODVM cuique uirtuti ſua innata eſt pulchritudo, ita cuique uitio ſua inſita eſt turpitudo: & cum una uirtute altera ſit uirtus maior, & uitium unum altero uitio maius, ut unius uirtutis ſplendor, & unius uitij obſcuritas maior exiſtat, oportet. Cum autem in uirtutibus, ut eſt in confeſſo apud omnes, nulla ſit caritate maior, nullum pariter uitium erit odio maius. Quo fit, ut cum caritas fraterna pulcherrima ſit, fraternum odium turpiſsimum exiſtat. Vt iure optimo primam omnis mali labem, odiſſe fratrem, eſſe quidam dixerit. Verum, cum non omnes hanc turpitudinem cernant, quam ſi fratres uiderent, nullo unquam modo ſe odijs proſequerentur; idcirco paucis eam ob eorum oculos ponere curabimus, ut ea cognita, ab odio fraterno omnino abſtinere ſtudeant. Initio, quis non uideat turpiſsimum eſſe eum uiolare amorem, qui ut ſupra ſcripſimus, eſt ueluti idea & exemplar amorum omnium? Et qui hunc extinguit, quantum in ſe eſt, omnem amorem, cum tamen amor omnia diuina & humana foueat & conſeruet, extinguere

Odium fraternum turpiſſimum. Egeſ.li.1.c.5. Gail.Per. legendus tract. de uirtutibus

Prima ratio. Cap. 2.

conatur. Patet deinde huius diſcordiæ turpitudo, quod nihil poteſt æque parentum animos cruciare, quam ſi filios diſsidētes, & mutuo ſe lacerantes viderint. Exemplo eſt Xerſes, qui cum audiuiſſet Ochum filium fratribus inſidias paraſſe, mœrore perijt: ut recte ſcriptum reliquerit Euripides: Fratrum inimicitias parentibus eſſe grauiſsimas. Nouit hoc Iocaſta, nouit Philippus Macedo, nouit Seuerus Romanorum princeps. Hinc eſt, quod parentes ad extremum uitæ hinc abituri, cum nullam aliarum rerum curā habeant, in hanc vnam omnem cogitationem intendunt, vt filios concordes relinquant. Exemplo ſunt Cyri, Philippi, Micipſæ, & Sciluri. Et Ioſeph patriarcha in ſuo teſtamēto ſcriptum reliquit: Deum concordia fratrum delectari. At, quis non videt quantum ſit flagitium caros parentes mœrore ab eis confici, a quibus ſumma voluptate deberent recreari? Ad hæc, qui fratrem odit, parentes quoque eum odiſſe oportet: cum tamen ob hanc vnā cauſam multum eos deberēt amare, quod ſibi fratrem genuerint. At quæſo, quanta impietas, quantumque ſcelus eſt auctorem odiſſe ſuum? vt merito ſcriptura ignominioſum vocauerit eum, qui parentes affligit. Iam vero nihil poteſt excogitari obſcœnius, & ſtultius, quam fratris nomen a vero fratre abſtrahere, dum tibi odio eſt, & ad ementitum fratrem; ideſt, ad eum quem te amare dicis, traducere;

Alia ratio.
Plut.
Euripides.
Ioſeph Patriarcha.
Alia ratio.
Eccl. 3. & 7.
Tob. 4.
Prou. 19.
Alia ratio.

re; & in eo fratris nomen venerari: non ſecus ac ſi ſignum fratris coleres, ipſum vero fratrem inhumane negligeres. Cuius errati eam deberes perſoluere pœnam, vt nemo te reciproce amaret: & omnes, quos te omiſſo fratre, amare ais, fucato amore ſe abs te amari exiſtimare deberent; cum is qui a te maxime amandus eſt, odio tibi ſit: ac proinde tanquã falſus amator a quouis deberes excludi, & pro in humano & crudeli haberi. Latet etiam illa turpitudo in hac diſcordia, quod ij qui norũt fratres ſe viciſsim mordere, ac contentioſe viuere, arbitrantur aliquo turpi uitio laborare, aut aliquod grande ſcelus eos perpetraſſe, ac propterea famam amittunt ſuam, cuius iactura maxima iudicari ſolet. Nam, vt ait Publianus. Simile. Alia ratio. Fama ſeruanda. Publianus.

Honeſtus rumor alterum eſt patrimoniũ. Affert etiam illud incommodum odium fraternum; quod cum ſemel hanc arctiſsimam coniunctionem fratres diſſoluerint, nõ facile eam religare ac conglutinare licet. Etenim, non eſt hic amor extrinſecus adglutinatus, vt cæteri amores, ſed a natura inſertus. At ſi ſemel quod natura copulauit labefactaueris, nõ facile illud, vt ea, quæ arte fiunt, ſi fuerint collapſa, reſtitues: non ſecus ac ſi quis ab arbore ramum abſcinderet, & a muro lapidem reuelleret. Ad hæc, cum frater, qui tibi odio eſt, quotidie tibi ob oculos verſaturus ſit, continenter perturbato animo eris; quia quando- Eccl. 41. Alia ratio. Plutar. Alia ratio.

cun-

cunq; tibi occurret, æſtuabit ira, exedet inuidia, torquebitque odium. Facit pręterea diſcordia fraterna quandam iniuriam naturæ, quæ ſemper ad aliquod fulcrum adniti conatur, dum fratres qui ſeſe mutuo ſuſtentabant diſſociat. Quare cum frater per diſcordiam ſe à fratre reuellit; naturæ beneficium reijcit. Sicuti ergo, qui oculos ſibi erueret, manus abſcinderet, pedem amputaret, & fictũ oculum, & manum pedemque ligneum aſſumeret, ſtulte ageret; ita inepte ſe gerit, qui uero fratre a ſe repulſo, alium quempiam eius loco extrinſecus adſciſcit. Et licet uerum ſit, quod trito prouerbio dicitur. Oportere prius ſalis modium eſſe, quam amicitiam cum aliquo inire: tamen, ubi natura iudicium noſtrum pręuenit, eum amare debemus, quem ipſa ad amandum nobis pręſcripſit, ni eius beneficium inique negligere uolumus. Refert Plutarchus Athenienſes ad demonſtrandum quam ſit deteſtanda diſcordia fraterna, unum diem ex quodam menſe ſemper eximere ſoli tos eſſe, quod eo die inter Mineruam, & Neptunum ex eiſdem parentibus natos, nata fuerit contentio. Cum itaque fratres ſint ueluti vnum corpus, & caro una; ſi ſceleſtiſsimus ac immaniſsimus habendus eſſet, qui ex odio carnem ſuam uiuam, veramq; ab ſe abſcinderet, pari quoque ratione qui fratrem ſibi innatum, viuum, verumq; a ſe repellit, conſceleratus ac crudelis habendus erit. Efficit præte-

Alia ratio.

Simile.

Prouerbium

Theoph.

Plutarchus.

te-

terea diſcordia fraterna,ut fratres inter ſe digladiantes ad gubernacula reip.adminiſtrãda minus apti eſſe cenſeantur. Quandoquidem qui fieri poteſt, ut is remp. in pace & conſenſione, quo omnis recta ſpectat gubernatio cõtineat, qui domum ſuam ſolet conturbare? Qui fieri poteſt, vt ſubditos amet & pacificet qui odio infectus eſt contra fratrem, & conſenſionem labefactat fraternam? Hinc eſt, quod Philippus Macedonum Rex auctoritate ſua, & Leontinus Gorgias ſua eloquentia diſsidẽtes Græciæ populos conciliare nequiuerunt; imo ab ijs quos conciliare tentabant reiecti, irriſique fuerunt, ut qui de aliena cõcordia ſoliciti eſſent & domeſticam ſtabilire non poſſent. Ille nanque filium & uxorem habebat diſcordes, hic uero uxorem atque ancillam. Et ut quod ſentio dicam, diſſidentes fratres uitam quandam caninam mihi uiuere uidentur, cum ueluti canes ex eiſdem etiam parentibus nati, ſe mutuo lacerent, & mordeant. Denique, cum frater ſit ueluti baculus, cui frater innititur, ueluti ignis, quo fouetur, veluti funiculus ad quem adhæreſcit; quid poteſt excogitari turpius, & a ratione magis abhorrens quam id, quo quis ſe ſuſtentat abijcere, ignem quo calefit extinguere, & funiculum quo ſuſtinetur frãgere? Non times illud væ, tu qui diſcordiam amas fraternam? Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et vnus quomo-

Alia ratio.

Diſcordes cõcordes cõciliare nequeunt.

Alia ratio.

Eccl. 4.

do calefiet? Melius igitur eſt duos eſſe ſimul, quam vnum: quia duo reſiſtunt vni, & funiculus triplex difficile rumpitur. Merito ergo doctiſsimus Poeta, cum tam grãdis ſit fraterni odij turpitudo, eos qui fuerunt fratribus inuiſi, inter illos, qui acerbiſsimis pœnis apud

Virg. lib. 6. inferos cruciantur, repoſuit.

Hic quibus inuiſi fratres, dũ vita manebat.

Nullus igitur frater ſit tam barbaris moribus imbutus, tanta inurbanitate infuſcatus, tanta cœcitate oppreſſus, qui tam magnam diſcordiæ fraternæ turpitudinem non videat, & vbi viderit ab ea oculos non auertat eamque deteſtetur, ac arctiſsimo amoris fraterni glutino, ſe carni ſuæ non adglutinet. Et, vt vniuerſe rem concludam, cum nihil ſit felicius, quam amare, ac proinde Deus & angeli feliciſsimi, qui amant omnia; nihil profecto erit infelicius, quam odiſſe, quo affectu dæmones & omnes damnati ſunt infeliciſsimi. Ad amplificanda ea, quæ hoc capite breuiter a nobis diſputata, sũt poterũt multa alia, quę ſparſim hac tractatione continentur adduci.

De Cauſis ob quas fratres deberent inter ſe multum diligere. Cap. XVIII.

INGENIOSE, & vere a Sotione pronunciatum fuit; eos, q fratribus relictis alios amicos quęrũt, eis eſſe perſimiles, qui τήν ἑαυτῶν γῆν ἐῶσι, τὴν δὲ ἀλλοτρίαν γεωργοῦσι, ideſt, ſuum rus incultum ſinunt, & alienum colunt, quo quid ſtultius, quid ineptius excogitari poteſt? Vt igitur ab his ineptijs complures fratres, qui in hac re peccant, dum magis alios, quam ſuos germanos amant, reuocemus, rationes aliquot, quibus demonſtrabitur, cur fratres multum ſe diligere debent, afferemus. Et in primis, ut Plutarchus ſcripſit, ipſa natura non longe a conſpectu noſtro exemplum fraternæ beneuolentiæ poſuit, cum ea quæ ualde neceſſaria ſunt, in noſtro corpore gemina fecerit; veluti manus, pedes, aures, & oculos, quæ non diſsidij, ſed mutui auxilij cauſa ſe feciſſe naturæ inſinuauit. Pari quoque ratione, duos ex eodem utero gignit homines, ut ſe mutuis operibus iuuent, conſeruent, & ament, non ut ſibi noceant, non ut ſe deſtruant, non ut reciprocis odijs inter ſe pugnent. Itaque ſicuti

Sotion.

Simile.

Plutarchus

Prima ratio à natura ſumpta.

Simile.

pes

pes alter alteri pedi, & alter digitus alteri digito non eſt impedimento, nec ulla ratione nocet, ita nec frater fratri impedimento eſſe, aut nocere debet. Nam, ſi pes pedem ſupplantaret, corpus conſiſtere nequiret: ſi manus manum ligaret, homo nihil operaretur: ſi oculus oculum erueret, quid cerneret homo? Noli igitur pedem, manum, & oculum odiſſe tuum, fratrem uidelicet tuum; quo oculo melius uides, qua manu plura operaris, quo pede uelocius incedis. Quoniam, ſi fratrem pedem tuum abieceris, tibi continget, qđ de Arcadio ſcripſit Herodotus. Ille enim ſuo pede ſpoliatus, neceſſe habuit ligneum adſciſcere. Si manum tibi abſcideris, manu carebis, quæ tibi manum lauet, aut fricet. Nam, vt in prouerbio eſt, Manus manum lauat. Quare merito dixit Euripides; quem natura alicui coniunxit, is nullo modo alienus fieri poteſt. Hoc intellexiſſe videtur mulier quædam, cuius filios, maritum, & fratrem Darius captiuos fecerat, quæ a Rege interrogata, cum ei vnum ex captiuis donare vellet, quem ipſa eligeret, reſpondit, Fratrem, quod maritum & filios alios habere poſſet, non aliũ fratrem. Excitari poſſunt deinde fratres ad amandum ſe exemplo eorum fratrum, qui hanc ſanctam caritatem vehementer coluerunt. Primum exemplo eſſe poſſunt filij & filiæ Iob, qui, vt ex ſacra conſtat hiſtoria, coniunctiſsime viuebant, & inter ſe conuiuia pa-

Herodotus.

Epicar.
Euripides.

Herod. li. 3.

Alia ratio ab exemplo.

Amoris fraterni exẽpla.
Iob. 1.

parabant, vt quibus fuit vna communis viuendi ratio, communis etiam mors extiterit; vt merito Origenes eorum laudauerit concordiam, & ipſorum exemplo fratres ad mutuũ amorem hortatus fuerit. Moyſes ita fratrem Aaron amauit, vt totam poteſtatem ſacerdotalem ei contulerit, quam ne amitteret ſummis precibus a Deo obtinuit. Idem, ſororem, quæ in eum iniurioſa extiterat lepra, qua contacta fuerat, liberauit. Ioſeph, fratres a quibus graues acceperat iniurias, ſummis beneficijs ornauit. Petrus & Andræas ita ſe mutuo dilexerunt, vt quod vni placuit, alter approbauerit: propterea ambo piſcatores, ambo relictis retibus Chriſtum ſequuti ſunt, ambo pro Chriſti gloria cruci affigi voluerunt. Tiberius Cęſar Druſi fratris in Germania extincti cadauer Romam vſque mœſtus, & ſquallore obſitus pedibus eſt proſequutus. Dogobertus Fracorum, Ramyrus Hiſpanorũ reges, fratres conſortes regni aſſumpſerũt. Marcus Fabius cum de Hetruſcis inclitam victoriam retuliſſet, triumphum ſibi ſummo ſenatus & populi Romani ſtudio iure delatum ducere noluit, quod ipſius frater Q. Fabius fortiſsime dimicans eo prælio occubuerit. Publius Rutilius, licet leui affectus eſſet valetudine, audita fratris in petitione conſulatus repulſa, expirauit. Et Catullus quantum dolorem ob fratris ſui mortem cœperit elegia ad Manlium his carminibus indicauit.

Origenes de Iob.

Moyſes.

Ioſeph.

Petrus, & Andræas.

Tiberius Cæſar.

Dogobertus Ramyrus.

Valer Max. Mar. Fabius.

P. Rutilius.

Catullus.

Sed totũ hoc ſtudiũ luctu fraterna mihi mors.
Abſtulit,o miſero frater adempte mihi.

Ionas Hebr. Cum Agrippa Iudæorum Rex Ionæ Hebręo Pontificatum maximum dare vellet, nunquã conſenſit: ſed ſummo ſtudio, precibusq; ingentibus contendit, & obtinuit, ut fratri ſe meliori traderet. Proculeius. Proculeius Romanus eques patrimonij ſui partem, iterum cum fratribus ſuis Scipione,& Murena,qui bello ciuili omnibus bonis ſpoliati fuerant, ut Porphyrio in odem Horatianam, cuius partem ſtatim ſubijciam, adnotauit, æquis partibus diuiſit, ut merito ob hanc ſingularem erga ſuos fratres benignitatem, de eo Lyricus poeta cecinerit. Porphyrio.

Horatius li.2

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.

Dion. Lam. M.Ant.Mur. Hoc eſt,ut obiter cum Lambino, & Mureto, hunc locum declaremus, fama, penna, quæ cauebit ne ceſſet, aut quæ nunquam ceſſatura Alfonſus Rex eſt, eum ſemper commendabit. Alphonſus Aragonię Rex,non tam de regno Neapolitano adepto, gauiſus, quam de morte fratris in obſidione occiſi triſtatus eſt; quod eum regno multo cariorem haberet. Lucullus. Lucullus noluit prior fratre minore natu magiſtratum gerere,ſed ſuo anno prætermiſſo, fratris annum præſtolatus eſt. Et hæc pauca ex multis caritatis fraternæ exempla attuliſſe ſufficiat. Quã tum etiam conſortio fraterna ſit retinenda

& ſo-

& fouenda, vel ex eo apertiſsime demonſtratur, quod homines velint, nolint ad amicitiã cum aliquo cõciliandam a natura impelluntur, & qui amicitiam e mundo tollunt, non ſecus peccant, ac ſi ab eodem mundo ſolẽ auferrent. Quare extremę inſanię eſſe videtur, nolle cum eo amicitiam habere, quẽ auctrix amicitiæ natura, amandum propoſuit, & dedit. Et, ſi amicitia ex rerum communicatione fluere maxime ſolet, quem habes in hac uita, quo cum plura ſint tibi communia, quam cum fratre, nimirum parentes, ſemen, vterus, sãguis, ortus, educatio, domus, vſus, patrimonium, familia, familię ſplendor, & conſeruatio, aliaque permulta, quæ animos alias longiſsime diſſociatos arctiſsime conglutinare deberent. Et licet ex his quæ hactenus dicta ſunt, quam utilis, quamque iucunda ſit cõcordia fraterna, ſatis manifeſtè appareat: tamen adhuc quædam ſpeciatim ſequẽti capite de eadem re adſcribemus, ut iterum fratres ad eam cõſeruandam magis excitemus.

Alia ratio ſumpta ab appetitione amicitiæ.

Cicero.

De utilitate concordiæ fraternæ. Cap. XIX.

CVM nõ tam honeſtatis ſplẽdor, quam utilitatis, & delectationis ſpecies hominum oculos afficere ſoleat, quam utilis, quamque iucunda ſit fraterna cõcordia, paucis demonſtremus, ut his cognitis & deguſtatis aliquando fratres exclament:

O quam beatum eſt pacis indiſſolubilis
M.Ant.Flã. *Fratres ligari uinculo?*
O qualia bona, & quanta ſecum gaudia
Apportat alma caritas?

Et in primis accedat luculenta illa ſapientis ſententia: Frater, qui adiuuatur a fratre, qua ſi ciuitas firma. (Alia ratio ab utilitate.) Is, qui cum fratre coniunctiſſime uiuit, ab improborum calumnijs eſt ſecurior: ei, qui fratrem habet, nemo eſt, qui iniuriam facere audeat is: qui fratrem habet, tutior eſt ab inimicis, ſi quos habet: is qui fratrem habet, honoratur, defenditurq; ab omnibus, ut de eo, qui fratrem habet dicere liceat, quod de patre habente filios regius propheta pſalmo centeſimo uigeſimo ſexto dixit, cuius loci ſententia ex codice hebræo hęc eſt. Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij iuuentutis, ſiue iuuenes. Felix is, qui pharetrã ſuam impleuerit ex his. Quoniam non confunde-

Guaz.lib.3.

Dauid.

fundetur, ſeu non pudefiet, cum loquetur cū inimicis ſuis in porta, hoc eſt, cum diſceptabit cum ęmulis ſuis, pro tribunali. Sicuti ergo vir fortis nō timet hoſtē, cum manus ac pharetram habet ſagittarum plenam: ita is, qui plurimos habet filios iuuenes, non timet, quando ei cum inimico in iudicio agendum eſt. Idem dicas de eo, qui fratres habet. Quare ſapienter Xenophon libro octauo de inſtitutione Cyri, cum varia commoda, quæ a fratribus capiūtur numeraſſet, ſcripſit: Seipsū curat ὁ προνοῶν ἀδελφοῦ, ideſt qui fratri prouidet. Xenophon.
Sunt præterea fratres, vt alias ſcripſimus, veluti vnius corporis diuerſa membra; & ſicuti vnum membrum alterum ſibi vicinum iuuat, & vnum ſine altero conſiſtere nequit: ita frater præſenti fratri, imo etiam abſenti prodeſt. Sunt ſibi mutuo oculus, aures, manus, pes, & vnico quaſi corpore vnam ſuſtinent familiam; eandemque veluti diuerſi artifices varijs ornamentis, & quaſi coloribus illuſtrant, & exornant: vnus ſcientijs, alius armis; alius honorum gradibus, alius negociatione; vt difficile ſit eam labi domum, quam tot humeri ſuſtinent, & fulcimenta fulciunt. Nec facile inuenies hominem, qui veluti alter Atlas, non dicam mundum, vt ille, ſed nec domum quidem ſuſtinere valeat. Hanc veritatem intelligebat is, qui fratrē defunctum his carminibus deflebat. Alia utilitas.

Tu mea, tu moriens fregiſti commoda frater, Catul.

Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.

Alia utilitas. Ad hæc, cum nullius rei ſine ſocio iucunda eſſe poſsit poſſeſsio, vt ad perfectam felicitatem amicitiam neceſſariam eſſe, ſapienter dixerit Ariſtoteles; quis eum ſociũ, quem a natura accepit, quo cum altus, educatuſque eſt, non retineat, non foueat, non carum habeat? ſi vitam incultam, & ab amicis veris deſertam beatam eſſe non poſſe ſentiet. Propterea idem poeta ſubiecit:

Ariſt. 8. Ethi.

Catullus.

Omnia tecum vna periere gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.

Cicero in Lælio.

Quare ſi de Marci Tullij ſententia ſtultum eſt pecuniam, equos, famulos, veſtes, gloriã, & vaſa precioſa ſibi parare, amicos autem nõ parare, quanto ſtultius erit fratres non amare, eoſque ſibi caros non habere? Cum in hac ſocietate omnia reperire liceat bona, quæ homines appetere conſueuerunt, honeſtatem nimirum, vtilitatem, atque iucunditatem. Quid enim honeſtius eſt, quam eum diligere, quẽ Deus diligendum præbuit: quam eum amare quo cum tot amicitiæ cauſæ ſunt tibi communes? quam carnem ſuam, ſanguinemque ſuum fouere? Quid vtilius, quam cum eo con ſentire, qui eſt altera manus, alter pes, alter oculus, qui te tuaque tuetur, aut certe tueri poteſt? cum eo inquam, qui in cauſa eſt, vt alij te venerentur, & obſeruent, ac timeant. Nam ſi amici, vt Xenophon ſcripſit, ſunt ſecurum Regum ſceptrum, cur nõ frater fratri adiu-

In concordia fraterna omnia reperiuntur bona.

Honeſtas.

Xenophon.

mento

mento erit, ſi cum eo concordiſsime vixerit? Quandoquidem,

Auxilia humilia, firma conſenſus facit. Publianus.

Quid porro iucundius excogitares quam eũ habere, quo cum conſilia communices, cui bona tua impertias, qui te calamitatibus leuet, & in rebus agendis iuuet? Quare iure optimo Homerus fecit Telemachum conquerentem de hac calamitate, quod fratre careret, & tu qui habes non amabis? non fouebis? tibi etiam quauis incommoditate non cõſeruabis? Nec mihi dicas, vt quidam ſolent, te multum fratrem amare, ſed te non poſſe aliqua externa ſignificatione hunc amorem indicare; quia ad id credendum me induces nũquã, cum fortis ſit vt mors dilectio. Amor ignis eſt; & quis poterit illum celare, Homerus. Amoris uis Cant. 8.

Lumine, qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Qui amorem cohibet, aut extinguit, aut minuit; aut vt maiore impetu erumpat efficit. Quod ſi amorem comprimis, quia aliqua offenſione te læſit, aut iniuria affecit, aut verbis te punxit; flocci ſunt, ſtipulæ ſunt, quiſquiliæ ſunt, quæ ſi ſurrexeris, aut veſtem excuſſeris, ſtatim decident, & euolabunt: aut eum ſi amas, amoris certe tui comburentur flãma. Iniuriæ fraternæ contẽnendæ. Vbi magnus amor, ibi magna patientia. Denique, vt hunc locum concludamus; ſi humanis mẽtibus ea inſita eſt notio, vt etiam ab ijs vellent amari, ſibiq; omnem offenſam condonari, in quos ipſi iniurioſi fuiſſent, fratrem Prouerbium. Guaz.

tuum, ſi eum fortaſſe, iniuria affeciſſes, erga te beneuolum, atq; benignum eſſe, profecto velle deberes. Eadem igitur, te lege obliga, ni iniquus haberi uis, qua fratrem obſtrictum eſſe velles, atq; eum ama, omnemq; ei offenſam benigne condona.

Lege de pacificatione.

De præceptis quibuſdam ad conſeruandum amorem, & tollendam diſcordiam fraternam.

Cap. XX.

Hyppon.

HYPPON in libris de re ruſtica duas eſſe arborum ſpecies affirmauit: quarum altera ſylueſtres, altera vero vrbanas continet plantas. Inter has autem de ſententia omnium eorum, qui de re ruſtica aliquid memoriæ prodiderunt, ea præcipua eſt differentia, quod ſylueſtres cultura non egent; verbanæ vero maxime: qua ſi careant, vel ſtatim degenerant, vel ſteriliſcunt. In vrbanis autem plantis, vt præclare ſcripſit Theophraſtus ἄνθρωπος ἢ μόνος, ἢ μάλιστα, ideſt, homo vel ſolus, vel maxime vrbana planta eſt. Quare, ne cultura careat, opera danda eſt. Propterea faciendum nobis duximus, vt præceptis quibuſdam, quaſi quadam cultura, fratrum animos coleremus,

Sylueſtrium & vrbanarũ plãtarum natura.

Theophraſt. Homo planta urbaniſsima.

mus, vt vberiores in agro fraternæ caritatis fructus efferre valeant. Ea autem quæ præſcribentur præcepta, partim ex his quæ dicta ſunt colligentur, partim de nouo addentur. Primum igitur ac maxime ſalutare præceptum eſt, vt quantum fieri poteſt etiam a pueritia, non modo a maximis, ſed etiam a minutulis, & leuibus de cauſis contẽtionibus, & altercationibus ſe contineãt. Nam, ſi frequenter inter ſe, etiam leuiter, & paruis de rebus diſſenſerint, quotidie ad grauiter & maioribus de cauſis diſſentiendum, vnde maxima poſſunt oriri mala, procliuiores fient: vt ex exemplo filiorum Seueri Cęſaris ſupra capite tertio allato aperte conſtat. Paruas igitur diſcordias fratres vitẽt, vt maiores uitare ualeant. Nam ut Heſiodus cecinit: Primum pręceptum. Plutarchus.

Paruula ſi tentas ſuperadieciſſe puſillis,
Idque frequens peragas; magnus cumulatur aceruus. Heſiodus.

Vt autem a contentione germani ſe facilius ſuſtineant, inter ſe non ludant: alter alterum non lædat, ſeu negligat: nec dicta, aut facta alter alterius carpat: alter alterum errantem ferat, uel modeſte corrigat: ac demum alter alterius onera portet, & adimplebit legem Chriſti. Nam ſi impotentes habuerint animos, magnas & frequentes inter ſe excitabunt tragędias; imo quod experientia ſæpe docuit, alter alterum necabit. Et cum hæc, de amore & diſcordia fraterna Peruſiæ ſcri- Gal. 6. Stunec. contra Eraſm.

berem, duo fratres, alias coniunctiſsimi, ita ut alter alteri ſemp eſſet affixus, leui de cauſa, imo cum alter ab altero admoneretur, inter ſe altercari cœperunt: & altercatione uix cœpta, unus alteri colaphum infregit: affectus, ſcloppo, quem paratum habebat in fratrem conuerſo, plumbea pila eum traiecit. Sed cum ſtatim ad ſe rediſſet, impietatemque ſuam agnouiſſet, manuale tormentum, quod iterum armauerat, fratri animam agenti cum lacrymis obtulit, & de perpetrato ſcelere uindictam ut ſumeret efflagitauit. Et quod caſus acerbitatem auxit, ipſorum mater & morientis uxor, aliqua ex parte miſerabilem caſum ſuis oculis inſpexerunt. Poſtea fratricida monitus, ut ſibi a miniſtris iuſtitiæ caueret, per campos, tanquam graui ictu percuſſus taurus contenta uoce mugiebat, & ſuam morientiſque fratris uicem, miſerandum in modum deflebat: quod eas ſentiret furias ultrices, quas ſecum maleficij affert conſcientia: illo enim nocens ſe dannat, quo peccat die. En fratres ſingulare exemplum ad demonſtrandum, quantum contentio fraterna uitari debeat, & quantum animi impetus ac furor poſsit. Perſimilis caſus noſtra ætate accidit Eugubij. Duo fratres mihi de facie noti, ſe coniunctiſsime amabant, cum ad menſam inter ſe iocarentur, alter leuiter offenſus, ob animi impotentiam, lancem in caput fratris tanto impetu cōiecit, vt necauerit.

Exēpla quædam, quibus demōſtratur quantum fratres debeant abſtinere à contentione.

Publ.

Aliud exemplum.

rit. Romæ inter duos alios fratres, quos ego noui diſſenſione nata, ad complexus venerũt, ac de eminenti loco ſe deiecerunt, quorum alter ob maximum lapſum & grauem percuſſionem ſtatim expirauit. Pertinebit igitur ad caritatem fraternam, iram impotentis fratris ſuſtinere tacendo, vel cedendo, donec incenſa flamma deferbuerit: vel lenibus verbis impetum fratris lenire; ne, dum altercari voluerit, diſcordiam & contentionem augeat: & ſi quid dixerit, vnde ortum ſit malum, non pigeat ex ore proferre medicamentum, vnde facta ſunt uulnera. Secundo, operas mutuas prompto animo ſibi præſtent, & quadam honeſta contentione officijs inter ſe certent, cum ad conciliandam gratiam eamque conſeruandam plurimum valeant ex animo exhibita officia. Quod ſi alter non ita prodeſſe poteſt, tamen aliquid poterit. Nam ut eſt in prouerbio, etiam capillus unus umbram habet ſuam. Et ſicuti is digitus, qui ſonare, aut ſcribere nequit; tamen ad hæc munera præſtanda non parum prodeſt: ita & frater nũquam erit adeo imbecillis, quin interdum fratri adiumento eſſe poſsit. Imo fratris impotentia eo te magis ad opem ei ferendam excitare deberet, quo magis benignus uideberis, ſi ei præſto fueris, cum nulla remunerationis ſpes ad gratificandum te alliciat; & in hac honeſtiſsima pugna exiſtes uictor. Siquidem malus eſt uocandus qui ſua cauſa

Aliud exemplum.

Remedium.

Aliud præceptum.

eſt bo-

eſt bonus; is nimirum qui ſui ſolum commodi cauſa, ceteris eſt utilis. Tertio, patiatur frater fratrem nō modo ſibi ſimilem euadere, quod deſideratur & placet, ſed etiam æqualem & ſuperiorem. Nam ſi fratris uirtutem & ſplendorem comprimere, tuamque auctoritatem efferre uolueris, ſtatim diſſenſionem gignes. Quarto, frater fratris inimicum ſi quem habet, uitet amicos uero foueat & colat. Nam ſi fraterne coniunctorum debent omnia eſſe communia, quanto magis amici? Si enim diuerſorum hominum uſum habuerint diuerſa eos ſentire neceſſe erit, cū mores fingantur vſu.

Aliud præceptum.

Aliud præceptum.

Claudo vel vni ſi propinquus fueris,
Diſces & ipſe claudicare protinus.

Poterit etiam communis amicus, ſi qua inter eos ſuborietur diſſenſio, veluti ſtānum inter ſeiunctas ęris partes ſeſe diffundere, & eos iterum copulare. Et quod huc facit ſuſurrones & amicos inimicos, hoc eſt adulatores fugiant, qui, ut ſupra ſcripſimus, fratres diſſociare ſolent: qua in re non ſint imprudentiores Aeſopi gallina, quæ percōtanti Feli, ut ſe haberet, reſpondit: bene, ſi tu diſcedas. Cum defecerint ligna, inquit Sapiens, extinguetur ignis, & ſuſurrone ſubtracto iurgia cōquieſcunt, verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa penetrant ad intima cordis. Quinto, ſi ob maledicos & inuidos, aut alia de cauſa inter fratres aliqua naſcatur diſſenſio, quæ caritatē fra-

Simile. Adulator amicus inimicus.

Aeſopus. Suſurrones damnati. Prou. 29.

Aliud præceptum.

fraternam aliqua macula aſpergat, ſtatim eluẽda eſt, ne quod inurat næuum, quod expũgere ſit difficile. Et ſi id per ſe ipſos facere nequeant, arbitros adhibeant, ac pacificatorem prudentem inueniant. Imitentur fratres Euclidis Socratici exemplum. Is enim audita hac nefaria fratris uoce; peream, niſi te ulciſcor, dixit: Ego uero, peream, niſi perſuaſero, ut poſita ira, nos ames, ut olim. Sexto, ſi frater cum pace uiuere cupit, ſi a fratre amari deſiderat, det operam, ut ſtudioſe religioſeq; uiuat. Nihil enim eſt amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quam probitas: quippe cum propter uirtutẽ & probitatem eos etiam, quos nũquam uidimus, diligamus. Si igitur uirtus efficit, ut alienos, imo hoſtes etiam ipſos amore proſequamur, quanto magis eos, quibus cum tot uinculis coniuncti ſumus, ut amemus efficiet? Quare cum præcipua amoris cauſa ſit uirtus, ſitque diuturna & firma, curẽt fratres ſi ſe inuicem immortaliter amare uolũt, ut cum uirtute uiuant. Improbus enim, ut ait Plotinus, ſecum conſentire nequit, & repugnans ſibi ipſi cum aliis congruere non poterit. Et quamuis vtilitate ſtabiliri conſeruarique beneuolẽtia queat; tamen nunquam præcipua amoris cauſa ſit utilitas, ni tã excelſum atq; illuſtrem amorẽ, cuiuſmodi eſt fraternus amor, ſordeſcere uolunt: ſiquidem pecudũ eſt, illud ſolũ bonum eſſe exiſtimare, illudq; amare, qđ fructuo-

Plutar.

Aliud præceptum.

Cicero in Lælio.

Virtus amoris cauſa.

Plotinus.

Vtilitas in amando non ſpectanda.

Amor fratrũ qualis eſſe debeat.

ctuoſum eſt. Ament itaque ſe amore ſimplici & mutuo. Simplici quidem, ne qua ſit fœce vtilitatis infectus, aut aliqua ratione fucatus. Propterea antiqui pictores amorem nudum, & puerum pingebant, quod puritate & nuditate gaudeat. Vnde Marullus.

Marullus.

Cur ſine ueſte Deus? ſimplex puer, odit optũ.

Fulgentius.

Licet aliam huius rei Fulgentius libro ſecundo mythologiarum cauſam reddiderit. Mutuo vero, ne dum alter ſe non amari ſentit, ab amando deſiſtat, & dicat:

Vt præſtem Piladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem.

Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris ama.

Seneca. epiſ. 9. Greg. Naz.

Hoc medicamento, hac arte venefica, his verbis & herbis Seneca conciliare amorem docuit. Eſt enim, ut elegãter & ſcite Publianus dixit, Magnes amoris amor. Vt merito Gregorius Nazianzenus ſcripſerit.

φύσις φιλεῖν τοὺς οὐ φιλοῦντας εἴργει.

Hoc eſt,

Natura amare non amantes prohibuit.

Et ne hoc caput longius protrahatur, cetera præcepta tribus ſequenttbus capitibus complectemur. Et cum inter ſcriptores diſſenſio ſit, an fratres ijſdem ſtudijs, an uero diuerſis ad retinendam concordiã delectari debeant, mox de hac re diſputationem inſtituemus breuem.

An

An fratres debeant ijsdem, an uero diuerſis delectari ſtudijs. Cap. XXI.

SIMILIA ſimilibus congruere, non modo ſexcentæ ſapientum ſententiæ, totidemq; prouerbia, ſed etiam ipſa natura apertiſsime indicat; ut iure optimo ſtudiorum ſimilitudinem amoris cauſam eſſe diceres. Verum, cum ex altera parte experientia conſtet, homines non facile ſimilẽ ferre, & figulum, figulum odiſſe, animi pendeo, an illud præceptum cum nonullis ſcriptoribus fratribus dare debeam, ut eiſdem delectentur artibus, an uero eos monere, diuerſa ut amplectantur ſtudia. Pro priore ſententia hæ grauiſsimorum hominum faciunt ſententiæ. Simile ſimili neceſſario ſemper amicum eſt: Docti doctos amant: Pares cũ paribus facillime congregantur: Nihil magis attrahit ad amicitiam, quam ſimilitudo: Iungit amicitias ſimilitudo morũ: Diſsimilia inter ſe non coeunt. Et rurſus hæc prouerbia. Caſcus, caſcam ducit: Balbus, balbum rectius intelligit: Gracculus, ad gracculum. Ad hæc, fratrum diſsimiles mores, ſępiſsime diſcordiæ fraternæ exſtitere cauſa. Male conuenerunt inter ſe Cain & Abel,

Plat. in Lyſi.
Cicero.
Quint. decla.
Varr. li. 5.
Prouerbia.

quod diuerſo uitæ genere caperentur. Romulus & Remus, quod diuerſis eſſent affecti moribus, quam male conuenirent, exitus demonſtrauit. Nec ſine periculo caritatis fraternæ extinguendæ Caſtor & Pollux, qui eodem ouo ut dicitur, nati erant, non in ijſdem uerſati ſunt artibus:

Horat. ſer. 2. ſat. 1.

Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem Pugnis.

Quam ob rem Amphiō abiecta lyra qua utebatur ut Zethi fratris conſeruaret gratiam, ſe, ut ille, agris colendis tradidit. Huc etiam tandem facit, quod ſola nominis ſimilitudo maxime nos afficit, ac amorem gratiamque conciliat. Pro altera uero ſententia hęc argumenta faciunt. Primū quod ueteri prouerbio experientia confirmato dicitur, figulus figulum odit, athletæ inuicem aduerſantur: inuidia non uiget, niſi ubi ſimilitudo cernitur. Videmus enim oratorem medico, medicum iuriſperito, militem ſacerdoti raro inuidere, imo ſe mutuo laudāt, ſibiq; uiciſsim proſunt. Præterea, qui ex ijſdem artibus gloriā capere uolunt, non ſecus diſſentient, atque ij, qui ex eadem lance cibum, aut ex eadem muliere delectationem capere vellēt. Ad hæc, fratres alias coniunctiſsimi diuerſis artibus delectati ſunt: Teucer & Aiax, Demoſthenes & Chares, Eſchines & Eubulus, Hyperides, & Leoſthenes. Poſſet autem quiſpiam ſuper hac cōtrouerſia, ita ſtatuere, ut priorem ſententiam ſe-

L. cum filius §. pater. ff. de leg. ij.

Plut.

Conciliantur ſententiæ.

ſequendam eſſe cenſeret, cum frater æqualẽ fratris gloriam & potentiam ferre, atq; ſuam cum eo communicare poterit: poſteriore uero, quod tamen frequentius accidit, quando inuidia hanc communicationem prohiberet. Tunc enim, ait Plutarchus, alter ab alterius ſtudijs lõgiſsime animum reuocare deberet. Verum, ut in hac re, quæ ad concordiam fraternam conſeruandam plurimũ conferre poteſt, aliquid ſpeciatim dicamus, quod ſentimus planius aperire non pigebit. Primum, curent fratres, ut uirtutibus & moribus ſint perſimiles, qua ſimilitudine adepta, nulla inter eos, etiam ſi ſtudijs & artibus diſcrepent, ſub oriretur diſſenſio. Deinde, ſi qui fratres ſenſerint ad maiorem concordiã & familię ſplẽdorem conferre, ſi eadem ſtudia ſequantur, libenter id eis conceſſerim: ueluti ad retinendã auitam literarum & armorum gloriã, ut Scæuolæ, & Vbaldi legum ſciẽtiam. Poſtea, quãuis ſimilia ſtudia eos copulare ſoleãt, qui nulla ſe propinquitate attingunt: tamen cum fratres habeãt multa communia, vt ſupra ſcripſimus, quibus eorũ amor conciliari & cõſeruari maxime deberet, non uidetur admodũ neceſſarium, ut ijſdem artibus delectari debeãt: imo ſi fuerint diuerſa ſtudia ſequuti, id ſecum nonnullas commoditates afferret. In primis, occaſionem inuidiæ, quæ ex communi gloria oriri conſueuit, ſubterfugient, quod ſapiẽter admonuit Plutarchus. Proxime, diuer-

Reſoluitur. dubitatio.

uerſis artibus ſuã familiam, ut capite decimo ſeptimo docuimus, illuſtriorẽ reddent. Inſuper melius ſibi adiumento eſſe poterunt, ſi eruditus, doctrina, miles, fortitudine, negociator, pecunijs, ſacerdos precibus fratres do munque iuuabunt. Quare, cum domus ſit ue luti quædam parua reſp. & ciuitas, & hæ ſine artium, ac ſtudiorum diuerſitate non bene conſeruentur, pariter nec domus, niſi uarijs fulta fuerit prę ſidijs commode cõſeruari poterit. Et licet diſcordia ex diuerſitate conſurgat: tamen, nullus unquam concentus ſine diuerſitate, bene tamen ordinata, exauditus eſt. Et hęc ſunt, quæ habui ſuper hac re, breuiter dicere.

Domus eſt parua reſp. ſeu ciuitas.

De correctione fraterna. Cap. XXII.

Præceptum correctionis neceſſarium.

SALVTARE illud, ac tam frequenter in ſacris litteris repetitum, ab hominibus tamen ſupine neglectum de correctione mandatum, cum in tota ſocietate humana neceſſarium eſt, tum in communione fraterna, a qua omnis correctio, fraterna nominatur, perneceſſarium eſſe omnino videtur. Quare, de correctione a

fratri-

a fratribus facienda aliquā præſcribere, a re nobis propoſita non erit alienum. Sit itaque frater fraternæ concordiæ cupidus accuraratus ac diligens in corrigendo fratre, ſi quid eum peccare viderit. Ad quod officium præſtandum facile permouebitur, ſi quod luculenter Publianus ſcripſit, memoria tenebit. Publianus.

Amici vitia ſi feras, facis tua.

Et ſane ſi frater fratris curam neglexerit, quis eam ſuſcipiet? Si fratrem lapſum frater non erexerit, quis ſubleuabit? Quos inueniemus correctores, ſi ij, a quibus oīs dimanauit correctio, correctionē negligāt? Meminerit preterea eius, qđ Sapiēs ſcripſit. Melior eſt manifeſta correctio, quam amor abſconditus. Caueat ne dum fratrem emendare negligit, eius ignominia domum totamque familiam inficiat. Nanque non raro ob vitiatam partem totum vituperatur corpus: nec a naribus defluit ſanguis, quin os etiam fœdetur. Vacet autem admonitio acerbitate, & obiurgatio contumelia: adſit comitas; aſſentatio vero omnium vitiorum fomes quā longiſsime ab admonitione fraterna eijciatur. Nulla enim eſſe poteſt maior peſtis in omni amicitia, quàm aſſentatio. Is qui obiurgatur non moleſte ferat, ſed de delicto doleat, obiurgationeq; gaudeat: Nouerit eſſe verum, quod Sapiens ſcripſit: Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudolenta oſcula odientis. Si merito obiurgauit, ſcito, quod profuit: ſi immerito, ſcito,

Pro. 27. & 28.

Stephanus Guaz.

Prouerbium.

Correctio fraterna qualis.

Prou. 17.

Martinus Dumienſ. Epiſc.

G cum

eum prodeſſe voluiſſe. Nulla autem meliore ratione, vt mihi videtur, correctio adhiberi poterit, quam ſi emendator ſeipſum demiſerit, & in eundem puteum in quem frater delapſus eſt animi demiſsione ipſe quoque deſcenderit, vt illum manu prehẽdat, & educat. Non furorem, ſed caritatem adhibeat correctricem. Nam qui vehementer emungit, educit ſanguinem. Fiat itaque infirmus infirmo: Quod ſi interdum lenior admonitio non ſufficiat, & paulo grauior ſit adhibenda correctio, adhibeatur, ſed tamen congruentem corrigendi modum ipſa præſcribat ratio. Cũ dolore, inquit Iſidorus, ſunt abſcindẽda, quæ leuiter ſanari non poſſunt. Nec enim ille probatur fraternus amor, qui ſine ratione fratrem perire ſinit. Concordiã in fratre requirimus, amoremque deſideramus.

Simile.

Prou. 30.

Iſid. lib. 3. de ſum. c. 60.

Proſper.

Sic tamen, vt prauos vitet cõcordia mores,
Nullaque ſint pacis fœdera cum vitijs.

Dominic. a Pace. ſer. 21.
Brachar.
Leo.
Eucher.
Damaſ.
Iuſt.

Sed de modo correctionis faciẽdæ, quæ materia ampliſsima & difficillima eſt, non eſt hic animus diſputandi latius. Quædam de hac re legi poterũt apud Bracharium epiſtola ad Ianuarium, & diuum Leonem epiſtola octuageſima ſecunda, & octuageſima tertia, & Eucherium epiſtola ad prouincias Galliæ; atq; apud Damaſum epiſtola prima, & apud Iuſtinũ epiſtola ad duos fratres. Quod ſi interdum propria admonitio nõ erit idonea, & frater te non audiuerit eius errata ad parẽtes

poteris

poteris deferre, nõ ut eis inuiſum reddas, ſed vt eorum grauiore correctione ad meliorem frugem frater redeat. Caueat etiam, quod huc facit, ne amorem parentum ab alijs fratribus abſtrahat, & in ſe unum totum deriuet. Nam præſtãtiſsimum atque commune bonum cuiuſmodi eſt parentum beneuolentia, non debet fieri ulla ratione priuatũ. Hinc eſt, ut merito Ageſilaus ab Ephoris mulctatus fuerit, quod ſingulos ſibi ciues donis conciliauerit, ſuoſque fecerit; cum, quod erat commune bonum, priuatum fecerit. Illud quoque boni fratris munus eſſe uidetur, ut cum parentes erga ſuum fratrem ſenſerit eſſe iratos, ei ut ſubueniat, eumque quantum res patitur, excuſet, furoremque parentum leniat. Quod officium accuratius præſtandum erit, cum frater culpa vacauerit. Nec erit timendum illud Sophoclis:

Iac. 3.

Plut.

Aliud præceptum.

O peſſime fili cum patre diſceptas tuo?

Et quod in hunc locum cadit, ſunt quoq; boni germani partes, ut ſi apud parẽtes ipſe gratioſus fuerit, non debeat eſſe contentus, ſi ipſe ſolus hoc tãto fruatur bono: ſed cum fratre communicet, & benigne eum ad tanti boni participationem adſciſcat. Hac arte non modo amorem fratris ſibi conciliabit ſui, ſed etiam parentibus hoc ualde placebit munus, ac propterea apud eos magis ac magis gratioſus exiſtet.

Aliud præceptum.

De vxore a fratre ducenda, & de filiorum fratris educatione.
Cap. XXIII.

Valer. Max.

CARA quippe vxor, dulces liberi, accepti affines, iucundi ſint amici : ſed nullus poſterior amor priorem caritatem exhauriat. Hoc mihi ille ſẽſiſſe uidetur, qui licet multos haberet filios, tamen regni ſucceſſorem fratrem habere voluit. Et quoniam nihil eſt, quod tantum caritatem fraternam extinguat, quantum importunæ vxores, cauendum ſane eſt, quod ad felicitatem & concordiã fraternam multum conferet, quæ nam fœmina a fratre domum introducatur. Huc pertinet,

Supplem. Chronic. lib. 3.

quod Phoroneus Argiuorũ rex, iã moriturus Leonti fratri dixiſſe ſcribitur. Mi frater animaduerto, quod nihil mihi ad felicitatem ſummam deeſſet, ſi uxor mihi ſemper defuiſſet. At ille, cur vxor obſtitit? Mariti, inquit, omnes ſciunt. Vtinam tu, ſemel tãtum, maritus fuiſſes : quia equidem ſcires quid impediat felicitatem.

Nurum natura.

Nurus itaq; ubi primum mariti familiam ſunt ingreſſę, totam eius beneuolentiam ab omnibus conſanguineis remouent, & ad ſeſe deriuant. Curet itaq; diligenter frater bonam ut uxorem ducat, quod

tamen Pacuuio factu difficile uidetur: ac propterea ſcribit: Pacuuius.

Haud facul fœmina inuentu bona.

Et ſi bonam inuenire nequit, ſaltem minus malam. Quoniam ut Plautus ſcripſit, Plautus

Optima nulla poteſt eligi; alia, alia peior.

Per tria nanque mouetur terra, & quartum nō poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cum regnauerit, per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo, per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta, & per ancillam cū fuerit heres dominæ ſuæ. Quare melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa, & iracunda. In ducenda itaq; uxore conſilij Pittaci meminerit, ut æqualem ducat, cui, ut idem monuit, imperare queat: nec tā corporis, quā animi pulchritudinem ſpectet, ſciatque valde periculoſum eſſe, τοῖς ὀφθαλμοῖς γαμεῖν, οὐ τῷ νῷ. hoc eſt, oculis nubere. & non mente. Itaque, Prou. 30. Qualis uxor ducenda. Prouerbium.

Si mihi ſunt oculi, non illis lumina certè,
Qui uxorem tentant ducere luminibus.

Quot & quæ uitia ex pulchritudine naſcantur elegāter Chryſoſtomus homelia uigeſima in epiſtolam ad Epheſios demonſtrauit. Et diuus Bonauentura in explicatione præcepti de honorandis parentibus, quantū pulchritudo & nobilitas uxoris ad corrumpendos bonos maritos poſſit, quodam exemplo admiratione digno oſtendit. Eo enim crudelitatis vxor quædam maritum deduxerat, ut Chryſ. D. Bonau. Vxor mala quid poſſit.

non modo parentem domo expulerit, ſed etiam, ut eidem ad oſtiũ eleemoſynam miſerabiliter petẽti, corruptas uix daret fabas. De veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas uiri. Mala mulier primum hominem, quem Deus rectum formauerat, ſua perſuaſione inflexit. Sanſonem fortiſsimum imbecillum reddidit, mitiſsimum Dauidem, ad crudelitatem armauit, & ſapientiſsimum Salomonem ſtultum fecit: mala mulier caſtum Ioſephum in carcerem coniecit, patientiſsimum Iobum amarulenter irriſit, innocẽtem Nabothum crudeliter interfecit, & eum, quo nemo maior inter natos mulierum unquam ſurrexit, capite truncauit: Vt merito cum Chryſoſtomo exclamare liceat. O malum omni malo peius, mulier mala? Tũc autẽ potiſsimum ab uxore prudens cauebit frater, cũ eam tectam eſſe animaduerterit: quoniam, ut ſalſe quidã ſcripſit. Aperte mala cum eſt mulier, tum demum eſt bona. Et hæc breuiter ſuper hac re admonuiſſe ſufficiat. Curabit itaque frater, quietam & bene moratam mulierem domum inducere, nec ab ea totam fraternam caritatem hauriri permittet, ni ſtatim caritatem fraternam extinguere, totamq; domum ac familiam perturbare cupit. Quod ſi bonam duxerit, & priſtinos nõ retinebit mores, nõ miretur, cum uere exclamauerit Calphurnius:

Eccl. 42.

Chryſoſt.

Calphurnius.

Mobilior uentis o fœmina?

Quan-

Quantum tamẽ in ſe erit eam in officio contineat, nec tantillum caritatem fraternam, eã labefactare permittat. Alter vero frater nurum benigne tractet, & eius filios, ſi quos ex fratre ſuſceperit, tanquam proprios habeat, & eorum curam gerat, inſtruatque; cum per eos familiæ ſplendor, & domus gloria conſeruari debeat. Officium erit honeſtum, piũ, parentibus & Deo gratum; ex qua recta puerorum inſtitutione, nõ modo domeſtica, ſed etiam publica concordia pendet. Defendat præterea eos, ſi quando opus fuerit: parentes eis iratos conciliet, & ſuo tempore, & loco commendet. Quæ munera augebunt, ac cõfirmabunt magis beneuolentiam fraternam. Hæc admouere volui, quod non ignorem non raro vſu venire, vt fratres minus inter ſe ament, ac etiam interdum cõionem diſſoluant fraternam, quod frater ſui germani filios minus caros, gratoſq; habeat, & nolit hoc filiorum onus vna cũ fratre ferre, atq; in hãc domus partem ſuis quoque humeris incumbere. Sit ergo is aduerſus fratris filios, qualem vellet experiri fratrem erga ſuos, ſi quos haberet. Vt autem non modo fratres, ſed ſingulos homines ad pacem, concordiamque amplectendam, ac retinendam excitemus, de præſtantia officij pacificatorij, de diſcordiæ damnis, & pacis utilitatibus ſequentibus capitibus diſputabimus aliqua.

De præſtantia officij pacificatorij. Cap. XXIIII.

Mat. 5.

Pacifici ſunt beati.

CVM hanc Chriſti Seruatoris noſtri animo pertracto ſententiam: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: hoc eſt, Beati pacificatores, quoniam filij Dei erunt, a ſcribendo de excelſitate muneris paci ficatorij animũ auertere ſtatuo: cum nihil poſsit excogitari illuſtrius, nihil magnificentius intelligi, quam ſi quis præpotentis numinis pacificando filius euadat. Quem enim non commoueat? quem non excitet tam ſublimis, tamque excelſus dignitatis titulus? Quis tanti præmij cupiditate non exardeſcat, & ad tantam dignitatem ſibi comparandam non ſe ſe accingat? Verum, cum hominum ignauiam & ſomnolentiam perluſtro, videoq; fere omnes, quaſi ſomno ſopitos, ad tantæ promiſsionis vocem non excitari, nec ſe ad tam præclarum munus obeundum comparare, neceſſarium eſſe iudico, quam præclaræ, quamque magnificę ſint pacificatoris partes pluribus aperire, obturatiſque auribus clarius inclamare, vt rei huius dignitate cognita, nemo ſit, qui pacifica

tor

tor eſſe nolit, & vt ſummam apud omnes laudem, & illuſtres titulos conſequatur, & vt tādem tanti parentis filius euadat. Primum igitur, qui ſe in terris pacificatorem exhibet, Deum opt. max. qui Deus pacis a pacificando dicitur in prçclariſsimo facinore imitatur. Deus nanque in cœlis beatos illos ſpiritus in ſumma pace ac conſenſione continet, & flumen pacis ſuper ea ciuitate, quæ viſio pacis appellatur, perpetuo declinat: ac etiam hanc mūdi molem rerumq; pulchritudinem, quam diuerſis & inter ſe pugnantibus conſtructam rebus, pacis vinculo obligauit, ſumma concordia ac pace conſeruat. Non diſsimili ratione, vir pacificus, ceu quoddam numen, hominibus aduenit, & cœleſtem beatitudinem in terris effingere conatur, dum diſcordia diſciſſos pace conſociat, & conſentientes in vnione conſeruat, ac pacis dulcedinem ſuper eos inſtillat, & humanam remp. caritatis glutino conſtringit. Quis igitur pacificatoris munus non laudet? Quis tanto officio perſungi viribus non connitatur omnibus? quis Deum totius pacis auctorem imitando, eius filius euadere non contendat? Quis tam ineptus erit filius, qui non idem, quod pater facit, efficere velit? Si ob pacificationis functionem Cæſar nos in filios adoptaret, qui pacificare nollet reperires neminem. Deus eandem dignitatem, imo infinitis partibus maiorem, pollicebitur, & con-

Quale ſit officium pacificatorium. Diuinum.

Iſa.66.

tem-

teminemus? O felices pacifici, quoniam filij
Aug. ſer. 159 Dei erunt. Quanta, ait Auguſtinus, eſt huius pacis retributio, hæreditatem poſsidere cum Chriſto, ſubſtantiam patris habere cum filio, cœleſte regnum participare cum domino, & in conſortium perpetuitatis admitti cũ Deo?
Chriſtianum Ex eo etiam pacificatio maximam excellẽtiã capit, quod verus Dei Filius, hominum, diſcordiam, miſeratus, non dubitauit a regalibus ſuis ſedibus delabi, & pacificatorem inter Deum, & homines ſe ſe prębere, imo inimicitias in ſuum corpus recipere. Ex quo factum eſt, vt ampliſsimos titulos ob hoc ſingulare munus ſibi cõparauerit. Vocatur enim Pater futuri ſæculi, illius nimirum æternæ beatitudinis, quę in ſumma perennique pace ſita eſt, Saluator, Princeps pacis, Rex pacificus: & merito quidem, cum quæ in cœlis, & quæ in terris ſũt, pacificauerit. Et quid debuit facere naturalis Dei Filius, niſi id quod patrem facere videbat? De hoc munere ſibi a patre impoſito gloriabatur, cum dixit: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum domini. Et quodnam eſt præceptum iſtud? niſi præceptum pacis, & amoris? Venit enim mittere ignem in terra, ignem ſcilicet amoris & caritatis, quo omnem diſcordiarum ſegetem combureret, & diſſenſionum fęcem expurgaret. Quis igitur tanta tanti muneris excelſitate cognita, ad illud vna cum Chriſto

[Margin notes: Tituli Chriſti. — Coloſ. 1. — Pſa. 2. — Luc. 12.]

obeun-

obeundum non excitabitur? Quis pacificatorem Chriſtum pacifi cando non ſequetur? Quid ergo illuſtrius eſſe poteſt, quã, ſe adiutorem Chriſti, in tam excelſo munere præbere? Nũquid nobis nõ erit gloriæ eſſe coadiutorem Chriſti, de quo apoſtolus merito gloriari ſolitus erat? Adde, quod Eccleſia quę eſt Chriſti corpus, pace & caritate conficitur. Igitur qui pacem cõciliat, qui amore animos conſociat, corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, quantum in ſe eſt, ſuſtinet, ac conſeruat. Is præterea, qui pacificandi prouinciam aggreditur, angelicum officiũ ſuſcipit. Sunt enim angeli legati pacis, & pacem diuino iuſſu inter homines conciliant. Propterea rege pacifico nato, angeli feliciſsimum pacis nuntium attulerunt. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nemo ſit igitur, qui angelicum hoc munus ſubterfugiat, nemo ſit, qui hominibus, tanquam angelum pacis non ſe prębeat, nemo ſit qui hãc angelicã functionem cõtemnat, imo eam omnes amplectantur, ament, promptoque animo exerceant. Eſt etiam hæc pacificatoria functio, apoſtolica; cuius pulchritudinem aperte demonſtrauit ille, qui dixit: Quam pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Nam quid aliud ſuis diſcipulis ſummus pacificator Chriſtus præcepit, quam vt prædicarent euangelium omni creaturæ? illum ſcilicet bonum nuntium, qui ab ange-

Eccleſia eſt Chriſti corpus.

Angelicum.

Lucæ.2.

Apoſtolicum

Iſai.52.
Rom.10.

angelis paſtoribus, datus fuit, euangeliũ nempe pacis, quam vt cuique domi darent, ſingulari quadam ratione eis imperauit. O felix euangelium? O dulcem pacis nũtium? O gratum & illuſtre miniſterium? Cur non omnes apoſtoli, cur non omnes angeli, cur non omnes filij Dei pacem nuntiando, efficiendo, & conſeruando euadere cupiunt? Vt vbiq; ſint filij Dei, angeli, & apoſtoli. Cur tã grande miniſterium iacet? cum apoſtolicum, angelicum, & diuinum ſit. Hoc ergo officiũ omnes

Mat. 10.

Sanaz.

Laudibus excipite, & plauſu celebrate fauentes.

Verum, cum humanæ dignitates multum homines ſoleant afficere; iam hoc munus hominum in altiſsimis gradibus poſitorum eſſe breuiter demonſtremus. Eſt igitur in primis pacificatio officium pontificium, cum Pontifices Chriſti vicarij, & Petri apoſtoli ſucceſſores ſint. Pontifices ergo vices Chriſti pacificatoris ſubeunt, & in munere apoſtolico, ſicut in dignitate, apoſtolis ſuccedunt. Pacem igitur nuntia, concordiam conſerua, & licet dignitate pontificia careas, maiorem quandam dignitatem adipiſceris, Deus ait: filius Dei euades. Eſt prꝙterea hꝙc pacificatoria functio actio quædam Imperatoria, & regia; ac propterea qui in ea verſabitur, rem regiam & imperatoriam faciet. Hæc enim vna fuit Principum creandorum cauſa, Pax, vt nimirum pacem conſeruarẽt, & fouerent, & ab

Pontificium.

Imperatorium, & Regium.

Principes cur creati.

& ab, eis tanquam a capite, in cętera deriuaret membra. Hoc eſt vnguentum illud, quod deſcendit in barbam, barbam autem Aaron, quod deſcendit in oram veſtimẽti eius, ideſt in omnes ſubditos. Hoc enim differt Rex a tyrãno, quod ille eſt pacis vindex, hic diſcordiæ auctor: alter concordiæ, alter diſcordiæ ſemina differit in regno. Sapienter igitur Alexander ille magnus interrogatus, quis eſſet rex optimus, reſpondit: qui inimicos beneficijs ambit, & reconciliat. Rex enim vt quidã ſcripſit, Deo ſimilis eſſe, & eum, quantum fieri poteſt, imitari debet. Hinc tituli illi amplisſimi, quos principes pacis fautores, ſibi compararunt. Pius, Clemens, Seruator, ſeu Soter, Pater patriæ. Hinc Iupiter Seruator, Hercules malorum auerſor, mõſtrorum domitor. Ad hæc, pacificandi partes hominum ex nobili familia natorum ſunt. Quare ſi quis pro nobili haberi vult, ſi nobilitatem cupit adipiſci, ſi ingenuitatẽ conſeruare ſtudet, in hoc munere perlibenter verſetur: Vnde enim orta eſt vera nobilitas, quę a maioribus trahitur, niſi ab iuſtitia, & ab amore ergã patriam; a rebus inquam bene geſtis pro pace retinenda? Si quis igitur eſt qui nobilitatem ſuam patefacere, ac illuſtriorem reddere deſideret, ſeſe ſuis ciuibus, cum occaſio aderit, pacificatorem præbeat. Hac vna re, is qui non modo ob eloquentiæ ſtudium romanæ eloquentiæ, ſed etiam ob patriam a flã-

Pſ. 132.

Tituli principum pacificatorum.

Nobile.

Nobilitas orta a pacificatione.

Cic. in ſeptima Philip.

mis diſcordiæ cõſeruatam patriæ parens meruit appellari, loco alias ignoto, ignobili, & pauperi natus, ampliſsimos honores, nõ mediocres opes, maximas dignitates ſe conſecutum eſſe clariſsime teſtatum reliquit. Huc diuitiæ, huc opes, huc clientelæ, huc cogitationes, huc ſtudia denique omnia conferẽda ſunt. Imitãdi ſunt Menœcei, Anchuri, Decij, Curtij, Coclites, Scęuolæ, Codri, Lyſaniæ & alij permulti prudẽtes, ac forte viri, q̃ ſuis deuotionibus pacem, & ſalutem reip. conſeruarunt, & ſe ſuoſque poſteros illuſtres, nobileſque reddiderunt, cum tanquam auerruncatores Deos ſeipſos ſuis ciuibus prębuerint. Augeant cum Catone patriæ concordiam; & vt ille apud Lucanum, hunc in modum loquantur:

Qui pro pace patriæ uitã poſuerint.

Lucanus.

O vtinam cœlique deis, herebiq; liceret.
Hoc caput in cunctas damnatum exponere terras.

Item:

Hic redimat ſanguis populos, hac cęde luatur
Quidquid Romani meruerũt pendere mores.

Et qua quæſo meliore via, gratiam, auctoritatem, & gloriam, quæ bona tanti fiunt, comparabit quis, quam ſi ciues & plebem in pace, ac conſenſione cõtineat, quam ſi inimicitias dirimat, & animos diſſociatos uniat? quo tanto beneficio homines affecti pacificatorem, veluti Deum quendã venerantur, obſeruant, & colunt. Hinc eſt, quod reſp. poteſtatem geſtan-

Nobilitati quantum tribuatur a rep.

ſtandi gladios nobilitati fecit, quam plebi negauit, quod nobilitatis ſit tueri pacem, plebis vero excitare tumultus. En igitur nobiles, quantum uobis tribuat reſp. En nobilitas, quantum a te pacificationis functionem ciuitas requirat. Omnes ergo nobiles cũ eſſe cupiant, omnes pariter pacificatores eſſe deberent. Daretur hic cãpus ampliſsimus, in quo fuſe lateq; excurrere poſſet oratio, ſi quis nobilium noſtri temporis uiuendi rationem uellet redarguere. Ius geſtandi arma ſibi deberi affirmant, & illud ardẽter repoſcunt, ſi repulſam patiantur, immortaliter conqueruntur. Sed qui ſunt, qui remp. perturbant? nobiles: qui ſunt, qui plebem concitant? nobiles: qui ſunt, qui capitales inimicitias exercent? nobiles: qui ſunt, qui omnem iniuriolam contra leges omnes volunt reponere? nobiles: qui ſunt, qui diſsidentes fouent? nobiles: qui præſidibus, & miniſtris iuſtitiæ iniuſte ſe opponunt? nobiles. o nobilitatem ignobilem! o gratiam ingratam! o auctoritatem impiam! o vrbanitatem barbaram, & inurbanam! poſtquam nihil poteſt excogitari a nobilitate abhorrentius, quam pacem, pro cuius conſeruatione nobiles uitam profundere deberent, uiolare. Et cum ijdem uideãtur eſſe nobiles & fortes, eſt etiam fortium uirorũ, & arma tractãtium in hoc pacificatorio munere verſari. In hanc igitur rem qui uolunt fortitudinis gloriam ſibi comparare, genero-

Nobiles noſtri temporis uituperati.

Forte.

ſum

ſum animum intendant, hanc materiam uirtu tis exercendæ quærant, ne cui iniuria fiat, ne pax uioletur. Non bella, non inimicitias, non diſcordias optent, qui a pace ſunt: in quo bene multi noſtrorum militũ ignominioſe peccant; cum de pace conquerantur, & bella deſiderent, ac diſcordias vndiq; conquirãt. In ſe per uictoriam ſui, & in alijs pacificationis uſu

Quod fortis uiri munus.

pacem conſeruare fortium uirorum eſt. Quid enim dabis barbarius & ab officio militis lon gius remotum, quam ſi propugnatores pacis & concordiæ profeſſores inimicitijs, pugnis internecionibuſq; oblectentur? Perfert virtus aduerſa, non quærit. Denique hoc munus ad uiros ſciẽtijs illuſtres, virtute conſpicuos, diuitijs inſtructos & auctoritate ornatos pertinet. Quare, q in eo uerſabitur, ingenij, morum, atq; præſtantiæ ſignificationem præbebit aliquam. Quod ſi qui his bonis, quæ ualent ad pacificandum, deſtituti ſunt, veluti opibus, nobilitate, auctoritate, propinquitate, cel ſitudine, & ſcientijs, ſaltem uoluntatem conferant, precationibus iuuent, rogẽt, quæ ad pa-

Pſ. 121. Iſa. 52.

cem ſunt Hieruſalẽ, ut nemo ſit, qui propter Sion taceat, qui propter Hieruſalem, ideſt ui ſionem, & guſtum pacis quieſcat. Pudeat ueſtros Chriſtianos plures dæmonem habere diſſeminatores diſcordiæ, quam Chriſtum coad iutores pacis. Pudeat ciuitatis pacis incolas minus de pace, quam Babylonis ciues de diſcordia ſolicitos eſſe. Pudeat regis pacifici mi

lites

lites ſub principe diſcordiæ ſtipendia facere. Omnes itaque tanta huius muneris excellentia atq; præſtantia cognita ſe ſe omnibus pacificatores præbeant, vt tandem filij Dei per hanc diuinam functionem euadant omnes.

Turpe eſſe diſſeminare diſcordias, & de uituperatione, & damnis diſcordiæ. Cap. XXV.

CVM ea ſit contrariorum ratio, vt iuxta ſe poſita magis eluceſcãt, vt muneris pacificatorij præſtantia clarius appareat, & a diſcordia diſſeminanda magis homines ſe contineant, non erit ab re, quam ſceleroſi diſcordiarum ſeminatores & altores ſint, & quot quantaq; ex diſcordia proficiſcãtur incommoda, ac detrimenta, hoc loco breuiter demonſtrare; quo fiet, vt pacis & diſcordiæ celſitudo, de qua dicetur poſtea, liquidius in noteſcat. Cum igitur pacificator, & pacis euerſor contrarij ſint, contrarijs quoque appellationibus deſcribendi erunt. Erit itaq; qui pacem odit, & diſſenſionem amat diſcordiæ ſator, anthiteos, & cacodæmõ quidam, regis pacifici hoſtis, & veluti alter Antichriſtus, diabolus angeli formam emẽtitus, pſeudoapoſtolus, & mali nuntij nuntius, Eccle-

Quales ſint diſcordiæ diſſeminatores.

ſiæ diabolicę & diſcordiæ auctor, tyrannus iniquiſsimus, publicæ fęlicitatis hoſtis, ignobilis, & obſcurus, & ignobilitatis origo, effœminatus, & eneruatus homo, conſceleratus vndique, & omni virtute & probitate orbatus, diaboli tandem coadiutor, & item filius. Quis igitur erit ita ſtupidus ac men te captus, qui hoſce turpiſsimos non exhorreſcat titulos? qui his turpiſsimis notis ſe inuri non reformidet? ac a diſcordia diſſeminanda prorſus, & omnino non abſtineat? Et, vt iam latiſsimum de vituperatione diſcordiæ campum ingrediamur, quidnam aliud eſt diſcordia, niſi diaboli filia, cęlorum perturbatrix, humanæ naturæ corruptrix, conſenſionis & beneuolentię expultrix, monſtrum ingens & horridũ, ex omni malorum & vitiorum genere conflatum, humanis diuiniſque rebus infeſtiſsimum? Vt merito hunc in modum quidam poeta eam eleganter deſcripſerit:

Diſcordiæ deſcriptio.

Petronius Arbiter.

ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos ſtigiũ caput; huius in ore
Cõcretus ſanguis, cõtuſaq; lumina flebant.
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens obſeſſa draconibus ora,
Atque inter toto laceratã pectore veſtem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

In cœlo.

Diſcordia ſemel cœlum ingreſſa, tam graue & atrox inter cœleſtes illos ſpiritus excitauit bellum, vt tertiam ſtellarum partem de cœlo

lo deiecerit. Diſcordia vbi primum hominem a Deo deuocauit, inteſtinam quandam in eo ac poſteris omnibus excitauit diſſenſionem, vt perpetuo parti rationis participi, cum parte ratione carente pugnandum ſit. Hinc turpes perturbationes exortæ, hinc voluptatis titillationes natæ, hinc obſcœni affectus, hinc inhoneſta deſideria originē duxerunt, hinc denique ęgritudines, calamitates, mors, malaq; omnia ortum habuere. Hoc diſsidium cum in ſe ſentiret Apoſtolus, in hæc verba prorupit: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? hoc eſt, iuxta Hebræorum phraſin, a ſumma, & grauiſsima hac miſeria. Et Zoroaſtres Oromaſi filio aiebat: σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκῶσι. Hoc eſt, Tuum vas beſtiæ terræ inhabitant, turpes nimirum, vt Gemiſtius exponit, & irrationales animi motus. Ad hęc, diſcordia omnes creaturas homini prius ſubiectas ei inimicas reddidit, & eum, quem pacis beneficio lædere non poterant, vt offenderēt & cruciarent, effecit. Poſtea vero quam in mundum intrauit, linguas permiſcuit, bella excitauit, campos ſuis ornamentis ſpoliauit, ædificia diruit, oppida & ciuitates euertit, incommoda omnia importauit, gloria & honore homines priuauit, artes & ſtudia omnia extinxit, omnia vitia inuexit, inferni quandā imaginem effinxit, ac viam eo adeundi ſtrauit. Vbi itaque ingreſſa eſt mundum, rixas,

Apoc. 12.
In paradiſo terreſtri.
Rom. 7.
Zoroaſtres.
Gemiſtius.
In mundo.

pugnas, bellaq; intruſit, & hominem, quem natura fecerat inermem, varijs modis ad feritatem armauit: quas pugnas, quæ bella perpetuo fouit, & dum mundus durabit, quantum in ſe eſt, ſemper fouebit. Dum diſcordia viget, non eſt qui terram aret, qui ſementem faciat, qui agros ornet, qui vites ponat, qui arbores inſerat, quiq; paſcat armenta. Iacent, ſquallent omnia: omnis ager vaſtatus & deſertus manet: montes, colles, terra denique tota ſuis honoribus ſpoliantur. Imo diſcordia ſata conculcat, ſegetes incendit, arbores reuellit, armēta occidit, aut certe barbaris nationibus, & inimicis populis tradit. Diſcordia itaque efficit, vt hoſtibus frumēta ſerantur, vites ponantur, & arbores plantentur: quod quam graue ſit perferre, nouit ille, qui hac de calamitate miſerabiliter his vocibus conquerebatur.

Quibus rebus noceat diſcordia.

Iſocrates orat. aduerſus Lochiten.

Agris.

Virg. eclog. prima.

Impius hęc tā culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? En, quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros? En, quis conſeuimus agros?
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.
Ite meæ (quondam felix pecus) ite capellę.

Omnium denique rerum ad humanū vſum accommodatarum caritatem diſcordia adducit: dum agros cōburit, vias claudit, mercaturas impedit, & cōmeatus rapit. Iam vero, vbi

Aedificijs.

vbi ea commoda, quæ a terris capiuntur ſuſtulit, vlterius progreditur, & ampla ædificia agrorum ornamenta diruit, villas ſolo ęquat, nec caſulis & tuguriolis parcit: oppida frequentiſsima, arces munitiſsimas, ciuitates illuſtres, quas concordia & pax maximo cum labore ædificarant, a fundamẽtis euertit. Teſtes ſunt Corinthus, Carthago, Africa, Numantia, & aliæ quamplurimæ florentiſsimæ vrbes, regna, & imperia. O pax, o concordia, quæ omnia iſta bona nobis datis, conſeruatis, augetis, & amplificatis. Vos, vos excolitis agros, exornatis campos, vbertatem omnium rerum affertis, ampliſsima ædificia conſtruitis, ciuitates, & regna conſeruatis. Quas commoditates animaduerterunt illi, qui de uobis cecinerunt.

Pax agricolã vel inter ſaxeta bene nutrit, Menander. Bacchillides.
Res maximas mortalibus producit pax,
Nempe diuitias, & ſuauiſſimorum cantuũ
flores;
Hęc efficit, vt in pulchris deorum aris boum
flauis mandentur
Flammis partes & lanigenarum pecudum.
Hæc facit, vt gymnaſia iuuenes, & tybias
conuiuiaq; curent.

Quis deinde numerare queat diſpendia, quæ humana corpora ob diſcordiam patiuntur? Corporib. humanis. fame, frigore, ęſtu, & laboribus conficiuntur: omnes cœli iniurias, calores, imbres, & pruinas ſuſcipiunt, de die, de nocte algent, ac ri-

gent: fame, frigore, eſtu & laboribus conficiuntur: & denique quidquid incommodi terra marique reperitur, experiri cogit. Et ſi de his incommodis quæ in bello ſpeciatim ſentiuntur loqui voluerimus, initium inuenire poterimus, finem vero nunquam. Quoties humana corpora, equorum, aſinorum, muriũq; carnibus, ſylueſtribus herbis, imo & corio neceſsitate cogẽte nutrita ſunt? quoties putrem & corruptam aquam, nec ad ſatietatem biberunt: quos cibos, quem potum nec contingere, aut ſine nauſea cernere potuiſſes. Humi cubare comedere, dormire, etiã ſub dio, quoties neceſſe eſt? fodiendæ foſſæ, conſtruendi aggeres, cædendæ ſyluæ, inſtrumenta bellica humeris ferẽda, aggerenda ſaxa, deſtruẽdum, conſtruendum inter volantes ſagittas, & plumbeas glandes, & ingentes bombardarum globos. Efficit pręterea diſcordia, vt procul a patria, a parẽtibus, ab vxorum amplexu, a liberorum aſpectu, per gentes remotiſsimas & barbaras, per loca auia, & inculta, mariaq; vaſtiſsima homines diuagentur. Et, quod grauius eſt, parentes cariſſimis filijs, quos multo labore & induſtria multa aluerunt & inſtituerũt immatura morte priuant: vt merito quidam ſcripſerit ideo magis pacem, quam bellum eſſe amandam, quod in pace filij parentes, in bello patres filios ſepeliant. Omitto rapina, depopulationes, interneciones & periuria, conuicia nefaria

Incommoditates, & damna bellorum.

Petr. Bizzar. Li. de pace.

Herod. Hali. lib. 1. in uita Cyri.

ria in diuos & diuas omnes: omitto templorum direptiones, profanationes, & rerum ſacrarum violationes: omitto fraudes, inſidias, & mille nocendi & decipiendi artes. Et quis valeat exponere, vitiorum & morborum genera, quæ ex bello domum referuntur; quibus nulla eſt tam ſancta, tamq; ſalubris, quę non inficiatur & corrumpatur ciuitas. Grauia ſane ſunt hæc hactenus recēſita diſcordiæ mala, & incommoda, ſed longe grauiora quę ſequuntur. Cum aliquam familiam diſcordia ingreſſa fuerit parentes filijs, filios parētibus, maritos vxoribus, vxores maritis, dominos ſeruis, ſeruos dominis inuiſos facit. Parentes caris filijs orbat, fratres fratribus priuat, amicos vel in exilium pellit, vel in carcerem conijcit, vel grauiter torquet, vel in patibulum tollit; gemitibus, & ſqualore domos ac ciuitates replet; omni denique lætitia, & iucunditate priuat. Itaq; parentem a filio, maritum ab vxore, fratrem a fratre, amicum ab amico, iunctoſque ſacris legibus, ciuitate, ſodalitate, ſtudijs, & artibus diſſociat, atq; diuellit. Deniq; diſcordia in cauſa eſt, vt nihil nos ab iniuria tueatur, non longinquitas, non vicinitas, non natio, non profeſsio, non ordo, non domus, nō vterus. Et quis deinde explicet quantum artibus, ſingulisque ſciētijs diſcordia obſit? Propter diſcordiam enim omnes artes, & diſciplinę omnes detrimenta capiunt quam maxima: nouæ non inueniuntur,

Familijs.

Scientijs.

inuentæ iacent, langueſcunt, pereunt. Propter diſcordiã non excoluntur animi, degenerant humanæ mentes, & obbruteſcunt ingenia. Non inuenitur magiſter qui doceat, nõ diſcipulus qui diſcat, non pater qui de filiorum inſtitutione cogitet, ſine duce paruuli filij remanent, ſine cuſtodia impotentes adoleſcentuli libere vagãtur, &, quod grauius eſt, interdum nuditate pereunt, & fame conficiuntur. Propter diſcordiam litterarum monumenta non eduntur, edita amittuntur, vnde magnam plagam ſcientiæ omnes ſemper acceperunt. O grata pax! o ſuauis concordia! Vos ſcientias & artes omnes inuenitis, inuentas augetis, auctas exornatis, exornataſque conſeruatis. Honorem vero, & famam, gloriamque quid eſt, quod magis extinguat, quam diſcordia? Norũt hoc Antonij, Annibales, Craſsi, Cambyſes, Pompeij, Gelimeres. Quoties viſi ſunt, quia gloria, honore & auctoritate floruere, iacentes & ſub iugo poſiti, & miſerabiliter a diſcordia extincti? Quoties uiſi ſunt, qui lautiſsime viuebant, ob diſcordiam hoſtiatim panem petere? & qui elegantiſsime ueſtiebant, cẽtonibus & veſtibus mille commiſſuris reſarcitis induti? Quoties nobiles matronæ ad pudicum corpus proſtituendum fuerunt coactæ? Quoties a diſcordia virgines nobili loco natæ in proſtibula fuerunt coniectæ? Quis ergo agros vaſtat? diſcordia: quis ædificia euertit? diſcordia: quis homines torquet, ſe-

Pindarus.

Honori & famæ.

nes cruciat, pueros necat, fœminaſque corrũpit? diſcordia: quis ſcientias, & artes extinguit? diſcordia: quis honoribus, & gloria priuat? diſcordia. O fraudum inuentrix, inſidiarum fabricatrix, ſcelerum procreatrix & religionis corruptrix diſcordia. Quantum poſt hæc detrimenti animi bona ob diſcordiam capiant, uix explicari poſſe arbitror. In primis, ſi iuſtitiam ſpectes, hoc unum habet diſcordia propoſitum, vt eam e mũdo tollat: quandoquidem omnia per uim efficit, omnia iura trãſgreditur, omnes leges violat, omnia humana & diuina decreta ſpernit, & irridet. Pollicetur ſecuritatem malis, incutit pauorẽ bonis, improbis impunitatẽ largitur, & innocentes ſupplicijs torquet: expilat, rapit, populatur omnia. Diſtribuit aliena bona, ſceleroſiſsimis ampliora donat præmia, rapta concedit, rapienda promittit, nemini ſuum reddit; imo a quouis, quæuis rapit, & nudos ſpoliat. Fortitudinis uero leges mirum in modũ frãgit, furorem in imbelles conuertit, impetum in quemq; facit, non parcit generi, non internoſcit ætatem, non diſcriminatur ſexum, nec a pueris lactentibus abſtinet. Ad reponendã iniuriam, etiam verbulo factam, non modo affectum, ſed parentes, auos, proauos, filios, nepotes, pronepotes, patruos, auunculos, affines & gentiles omnes excitat, armat & impellit. Veteres iniurias reuocat, ſopitas exſuſcitat, & obliteratas innouat. Eſt denique diſcordia cu-

Diſcordiæ deſcriptio.

Virtutibus.

Iuſtitiæ.

Fortitudini.

cu-

cuſpis, qua poetæ Aeolum uentorù regem armatum eſſe finxerunt, qua ventos in Aeolia inſula carceribus detentos excitat, & commouet, quibus alias tranquillum, mare perturbat, ac maximas tempeſtates efficit.

Aeolus, æolia, inflatum mare, cuſpis, & auſtri:
Accipe, quid ſignent ſymbola dicta tibi.
Terra, hominis cor, Rex furor eſt, diſcordia cuſpis,
Auſtri animi motus, corpus at æquor erit.

Prudentiæ. Adminiſtrat præterea omnia per imprudentiam. Quid enim præteritorum recordetur, præſentia uideat, futura præſentiat, qui ſe nõ noſcit, non uidet? qui furore agitatur, & nebulis ab iræ calore naſcentibus obruitur? animus inquam a ſua ſede dimotus, & a poteſtate deiectus? Hinc eſt, quod diſcordes non modo ſibi illatas ulciſcuntur iniurias, ſed etiam affinium, amicorum, ſodalium, & notorũ, in annos & annorum decades, imo ad poſteros

Temperãtiæ. cum hereditate transfundunt, & legant. Quãtum etiam cum temperantia pugnet diſſenſio ſatis ex dictis intelligi poſſe arbitror. Norunt id ciuitates, quæ in inimicorum manus deuenere, in quibus impotens libido ad omnẽ uenerem impudentiſsime laxauit habenas. In ſumma per diſcordiã omnes uirtutes profligantur, vitia omnia emergunt, eamq; uno agmine ſcelera omnia conglobata, tanquã pediſſequæ ſuam dominam & procreatricem,

Tranquillitati animi. ſequuntur. Is deniq; quem diſcordia occupauit,

uit, ſollicitus, & anxius ſemper eſt, meret, me tuit, diſtrahitur, diſcruciatur, ſperat, deſperat, una uocula, vno geſtu, vna leui punctiuncula concutitur, & quacunque aurula uel leuiter ſpirante naufragium facit. Quare conclude re licet, quod ſicuti nullum eſt illuſtrius munus quam pacificare, ita nihil erit magis igno miniosum quã diſſeminare diſcordias, quod uitium inter ſeptem, hoc eſt, inter alia omnia deteſtatur Deus: & ſicut nihil eſt cõformius, atq; confinius cęleſti beatitudini in terris quã concordia, ita infernæ calamitati nihil eſt ma gis ſimile, quam diſsidiũ. Placet hoc loco hiſtoriam quandam multum idoneã ad demõſtrandum quãtum diſcordia poſsit, quam olim me legiſse memini breuiter narrare. Scribitur itaq; octo quondam fures, quam rapuerant prædam, eam inter ſe partiri uoluiſſe: at cum inter diuidẽdum enata eſſet inter eos diſcordia, ad manus quaterni uenerunt: ex quibus quatuor uitam pugnando una cũ ſanguine primum profuderunt. Rurſus, cũ quatuor ſuperſtites non poſſent rem amice diuidere, iterum bini pugnam inſtaurant, & pars cecidit altera. Inter duos qui remanſerant, adhuc diſcordia ſeſe interiecit, & ad pugnã eos inflammauit, ac tertium conficitur bellum, ex quo unus demũ ex octo diſcordiæ cauſa fuit ſuperſtes homo. At, Ariſtonymus

Quid quæſo tandem reliqui, dic, ſi unius æque
Secum certaſſent dextra, ſiniſtra? Nihil.

Cum

Cum itaq; tot, tantaq; ſint diſcordię incõmo
da in omni domo, oppido, vrbe, regno, & mũ
do, cum omnibus bonis fortunæ, corporis, a-
nimi internis, & externis priuet, cum nihil ha
beat in ſe honeſti, utilis, & delectabilis, nemo
ſit tam ſtultus, qui eam non fugiat, a ſe & ab
alijs omni conatu non auertat, ne dũ ſenſim
ad alios penetrat, ad ſe etiam peruadat, ac pro
inde quiſq; concordiam & pacem amet, am-
plexetur, & retineat. Ad quod faciendum, ut
adhuc homines excitentur magis, de earum
laudibus, & commodis ſequenti capite ſubij-
ciemus aliqua.

Hortatio ad pacem & cõcordiam, & de earundem laudibus, & vtilitatibus. Cap. XXVI.

PACEM atque concordiã
tanquam duo maxima nu-
mina, & ædibus magnifi-
cis, & ſacris cærimonijs ab
antiquis fuiſſe cultas illu-
ſtres tradidere ſcriptores.
Paci enim, auctore Pauſa-
nia, Athenis ara dicata erat, Romæ vero Sue-
tonius, & Dion ſcribunt, ampliſsimum tem-
plum a Claudio inchoatum, & a Veſpaſiano
exædificatum fuit. Concordiæ vero, præſer-
tim apud Romanos, diuerſæ a diuerſis, vt ex

Pauſanias. Suetonius. Dion.

Liuio conſtat, dicatæ fuerunt ædes. Nec alia de re cenſendum eſt illos haſce virtutes tanquam Deas coluiſſe, quam, quod ſine his nullum imperium, nulla reſpub. nulla ciuitas, nullum oppidum, nulla domus, nullus hominum cœtus, nec denique vnus quidem homo conſiſtere queat. Hinc eſt, quod philoſophorum quidam eas vrbium dominas, ac reginas appellauerunt. Et olim ſacerdotes apud ethnicos, cum paci rem faciebant diuinam, hanc precandi formulam, vt Ariſtophanes ſcripſit, adhibebant. O grauiſsima regina, Dea veneranda, Pax, domina chororum, regina nuptiarum, ſuſcipe ſacrificium noſtrum. Hæc cũ quidam viri docti animaduerterẽt de pacis & concordiæ præſtantia, & commodis, veluti Leontius ad ciuitates Græcię, Demetrius ad Pomponium Atticum & alij permulti libros ſcripſerunt, quam etiam apud Rhodienſes magnis Ariſtides exornauit laudibus. Vt igitur chriſtiani, qui Regis pacifici militiam profitentur, quanti ab eis quoque pax & concordia faciendæ, & vſu vitæ retinendæ ſint, cognoſcant, hæc noſtra de amore & concordia fraterna diſputatio, vt de eis aliquid dicamus, poſcere videtur. Illud autem nobis propoſitum eſt, rationibus quibuſdam homines ad pacem amplexandam prouocemus, ex quibus etiã pacis pręſtãtia, utilitas, & laus ſatis apparebũt. Prima ergo ac vrgẽtiſsima ratio ad inflãmãdum homines ad concordiam quærendã, ac

Liuius.

Pax, & concordia urbiũ dominæ.

Ariſtophanes.

Leontius.
Demetrius.

Romu. Amaſ ſæus Lud. Viues.
Cœl. Calca.
Eligius ſe...

ac retinēdam hęc eſt,quod ij,qui ex pluribus vnum quid animorum cōſenſione,ac vnione efficiuntur, ipſam quodammodo diuinitatē,quæ, vt Iuſtinus martyr ait,nihil aliud eſt, quam trium perſonarum coeſſentia, in vnā naturam copulatio, affectare videntur. Ad hanc diuinitatis imitationem hortabatur nos Chriſtus apud Ioannem, cum orabat Patrē, vt ij,qui in eum credituri eſſent, vnum forēt, ſicuti ipſe vnū cum Patre eſt: Vt ſint cōſummati in vnum. Sicuti ergo,ait Cyrillus Alexādrinus,ipſe eſt vnum natura cum Verbo ſuo, ſic & nos ad vnū inter nos reducimur voluntatis coniunctione atque cōcordia,quādo nullo modo diſſentimus,ſed vno caritatis vinculo in vnitate coniungimur. Et infra: ſolet Saluator noſter bona, quæ ſibi naturaliter inſunt proponere, & ad ſimilitudinem hortari nos,vt ad diuinam ſic imaginem,ad quam facti ſumus, nos reformaret. Habet & illud ſibi proprium Deus, vt totus in ſe manens, vita quadam pacatiſsima, omni perturbatione carente,nullaq; commotione agitata,fruatur: cuius vitæ imaginem quandam in ſe effingit is, qui in ſeipſo conſiſtens, tranquille, placideq; traducit vitam, nec ſe, nec alios vlla ratione perturbat.

Iuſtinus. Diuinitas quid. Ioan.c.17. Cyrillus.

Sed tacitos ſinit ire dies,& paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.

Politianus. In ruſt.

Neque enim aliud, vt quidam docte & religioſe ſcripſit,pietas chriſtiana conatur,quam

Cyrus. Promuſ.

vt

vt ſerenitas humanos animos exhilaret,& trã
quillitate ſimus Deo & angelis ſimillimi.
Hanc pacem e terris pulſam, Rex ille, qui
licet virtutibus omnibus eſſet ornatus, ab vna
tamẽ pace, Pacificus nominari voluit, in hũc
terrarum orbem,e cœlo delapſus,reuocauit.
Cuius rei illud indicium fuit, quod eo tem-
pore naſci voluit, quo in vniuerſo mundo Oroſius.
tanta pax erat, quanta, vt Oroſius ſcribit,
antea in vna domo non fuit. Quando in-
quam,

Auguſtus pater æratis bella impia portis Sanaz. li.2.
Clauſerat,et validis arctarat victa catenis.

Hanc cœleſtes nuntij, Chriſto nato,paſtori- Luc.2.
bus pacem amantibus, nunciarunt. Hanc
Seruator noſter inter beatitudines numera-
uit. Beati Pacifici, quoniam filij Dei voca Matt.5.
buntur; hoc eſt, iuxta phraſim hebraicam,
erunt. Negat ſibi patrem Deum, ait Alcui- Alcuinus.
nus,qui pacem noluerit amplecti. Hanc de-
dit, & quaſi teſtamento reliquit diſcipulis
ſuis Dominus. Nec ad hæreditatem domi- Aug.
ni poterit peruenire, inquit Auguſtinus, qui
teſtamentum pacis noluerit obſeruare. Hanc
denique quam ipſe apoſtolis ſuis pacẽ dedit, Mat.10.
alijs vt darent præcepit. In quamcunq; do-
mum intraueritis, primum dicite, Pax huic
domui. Non habuit dominus maius donum,
quod mũdo ſuiſq; relinqueret,quam pacem:
nec cariſsimis diſcipulis quippiam pace ma-
ius donauit. Et hoc donum mundus reijciet?

aſpernabitur? nihili faciet? conculcabit? Hinc eſt, quod illi primi patres in initio & in fine epiſtolarum, quas ad fideles ſcribebant, vt eſt videre apud Ignatium, Martialem, Polycarpum & alios, pacis imprecationem apponebant. Eſt etiam pax, veluti ſymbolum quoddam Chriſtianorum, quo ab alijs populis diſcernuntur fideles, vt merito ſcripſerit Auguſtinus: qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Chriſtianus dici nõ debet. Præterea quanam in re alia ſita eſt vita illa, quam cœleſtes ſpiritus viuunt, niſi in pace, & concordia, qua placidiſsime, & iucundiſsime in illa cœleſti Ieruſalem, ſuper quam Deus ſe declinaturam eſſe flumen pacis, pollicetur, degunt? vt de eo loco merito Marius Victorinus ſcripſerit.

Ignatius. Mart. Polic. Alia ratio. Pax ſymbolũ chriſtianorũ. Iſa. 66. Marius Vict.

æternaq; regna videbis,
Non maculata malis; ſed erit concordia ſanctis;
Nec morti locus vllus erit, nec bella citatis
Exercentur equis, ſed pax æterna manebit.

Hanc felicitatem deguſtare incipiunt, qui cum tranquillitate & placatione in his terrenis ſedibus verſantur. Eſt enim pax ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, & conſortium caritatis. Et diuus Leo eam deſcribens, aiebat: Ipſa eſt quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix vnitatis, requies beatorum, & æternitatis habitaculum, cuius hoc opus pro-

Pacis deſcriptio. D. Leo. ſer. 5. de nat.

proprium ſpirituale ædificium eſt, ut iungat Deo, quos cernit de mundo. Ideo hominibus qui cum pace viuunt, dictum eſt : Regnum Dei intra vos eſt. Quemadmodum enim, ait ſanctus Antiochus, examen apum fauum ſibi conficit mellis, ita fratrum congregatio regnum repræſentat Dei. Deinde, qui pacem amplexantur florentiſsimum illum ſtatum, in quo primus homo, qui cum Deo, ſecum, cum creaturis deniq; omnibus pacem habebat, conditus eſt, inſtaurare nituntur. Et aureum illud ſeculum, quod poetæ finxerunt, ſola pace continebatur, illudque rediturum vaticinantur, ſi pax in mundum rediret. Item pax eſt nexus quidam, quo omnia connectũtur, ne defluant, quo pugnantia continentur, cuius pacis quandiu aliquid particeps eſt, tandiu durat, & conſeruatur : ut non maledixerint, qui auctricem & conſeruatricem rerum omnium cõcordiam & amicitiam eſſe dixerunt. Hinc Eliſius Calentius :

Antiochus.

Fabius Pict.

Empedocles.

Calentius.

Pax.

Vox homines, vox vna feras, vox vna volucres
Procreat, vna facit ſyllaba ſola Deos.

Demum, nihil eſt, quod magis nos ab aſſultibus improbi inimici poſsit defendere, quam pax, quod his uerbis epiſtola ad Epheſios docuit Ignatius. Nihil enim melius eſt, quam pacẽ habere, in qua omne telum euacuatur aereorum, & terreſtrium ſpirituum. Sunt etiam quam plurimæ rationes politicæ ad pacẽ lau-

dandam,& ſuadendam,quarum aliquas breui poſthac perſtringam. Eſt in primis ita neceſſaria in rep.pax,ſeu concordia,vt ſine ea, q̄d
Franciſcus Patritius. ſapienter Franciſcus Patritius adnotauit,cęteræ virtutes in ciuitate ſuum munus exercere nequeant.Pace enim e ciuitate pulſa,vbi religionis cultus? vbi iuſtitiæ locus? vbi virtutū ſplendor? quid per uim non agitur? quid non imprudenter geritur? omnia ſunt libidinis,& crudelitatis plena. Eſt pax adeo bona, vt ob ipſam vnam, omnia damna, expenſæ, interneciones, direptiones, populationes, & detrimenta omnia,quæ in bellis gerendis ſentiuntur,bona & optabilia ſint. Aedificia magnifica, ciuitates illuſtres, regna ampliſsima ad vnam pacem retinendam & perfruendam
Dauid. deſtruuntur. Propterea Dauid cum vellet ciuitatem illam felicißimam Ieruſalem lauda-
Pſal.121. re,ab ea,qua vtebatur pace, laudauit. Ieruſalē quæ ædificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipſum,hoc eſt,quæ coniuncta eſt ſibiipſi ſimul, quæ ſumma ciuium conſenſione vtitur. Et alio loco beneficia illi ciuitati a Deo conceſſa percenſens,ait: Qui poſuit fines tuos
Pſal. 147. Pſal. 131. pacem. Quid? quod Deus ſolum ſe habitaturum eſſe in Zion, quæ eſt arx Ieruſalem,ideſt viſionis pacis,dixit. Hæc animaduertentes antiqui pacis cultores cōtinenter eius templum
Galenus. frequētabant, ut ex Galeno libro de pulſibus conſtat, quod cernerent male cum ciuitate agi,ſi pace non frueretur maxima. Ad explicā-

dum

dum quam ſit neceſſaria concordia in ciuitate illud ſimile, quo etiam diuus Paulus, ad explicandam Eccleſiæ vnionem utitur, ualde ac commodatum eſt, quod ciuitas eſt ueluti corpus quoddam ex varijs membris conflatum, cuius partes nihil inter ſe pugnant, ſed mira conſenſione congruũt, & operas ſibi mutuas præſtant. Oculi pro toto corpore vident, manus omnibus partibus præſto ſunt, pedes totum ſuſtentant, venter in omnes partes ſuccũ diſtribuit: finge has partes inter ſe pugnare, & ſtatim totum corruere cernes. Idem de ciuitate dicas, quæ ex diuerſis conficitur, & conflatur membris, quæ ſi mutuo pugnent, ſe ipſam conficiat oportet. Et ſi ciuitatis etymõ ſpectes, quid aliud eſt ciuitas, niſi ciuium unitas? unitas quid eſt, niſi concordia? tolle concordiam, auferetur vnitas, remoue unionem, nulla iam erit ciuitas: imo nec ipſe homo erit, qui, ut quibuſdam placet, ab unione ſic eſt appellatus. Merito ergo omnes leges, omnes magiſtratus, omnes cœtus, conciones & ſermones omnes unam pacem ſpectant, & unã concordiã retinere curant. Concordia enim paruæ res creſcunt, ſine ea, maximæ dilabuntur. & Seruator noſter: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Ad hæc, pax & concordia ciuium partas opes conſeruant & augent, ſine quibus opibus nullus in ciuitate ſplendor, elegantia nulla. Hoc ſignificare uoluerunt antiqui, qui pacẽ cum puero Pluto & ſpicis, quod

1. Cor. 12.

Ioannes. Seleſberien.

Ciuitas quid

Nic. Cuſ.

Iulius Scal.

Saluſtius.

Luc. 11.

diuitiæ in pace comparentur, concordiam vero eandem ob rationem cum cornu copiæ; pingebant. Pax itaque regiones urbibus, territoria oppidis, agros uillis, cāpos arboribus, arbores uitibus, ciuitates ampliſsimis ædibus, vijs, & commoditatibus omnibus exornat, atque abundantiam copiamq; omnium rerum in vrbem, & orbem importat. Hinc Tibullus.

Tibullus.

Interea pax alma ueni, ſpicamque teneto,
Profluat & pomis candidus ante ſinus.

Alia ratio.

Vbi pax uiget, gratia quædam ſereni ueris, cum uireſcunt, cum uernant, cum florent, cū rident omnia, reperitur. Superfuſa in ciuitate concordia, eſt ueluti ſerenus, & tranquillus aer, quo omnia blandiuntur, alliciunt, & recreant. Pax eſt perpetuum ver, iucunda ſerenitas, deliciarum horti, & paradiſus quidam. Hanc Deus in cęlo, Imperator in orbe, Rex in regno, præſes in urbe, uicinus in vicinia, magiſter in ſchola; pater in domo, quilibet in ſeipſo deſiderat, & retinere ſtudet.

Indorū mos.

Quare mihi ſapere omnino uidentur quidam apud Indos populi, qui inter huius uitæ bona ſolam enumerant concordiam, & inter duos diſsidentes is honoratior apud eos habetur, qui pacem requirit prius. Et Didacus Valla-des parte quarta, capite duodecimo ſuæ rhethorices Indianos ad reconciliationem, & remiſsionem iniuriarum promptiſsimos eſſe refert. Et quid mirum, ſi hoc politicum & diuinum animal concordiam diligit? cum ad

Didacus. Hominem factum eſſe ad concordiam multa indicant.

eam

eam amandam religio, mẽs, memoria, ſermo, vultus, corporis conſtitutio, lacrymæ, riſus, infirmitas, & neceſsitas eum impellant, & cogant? Religio enim, quæ homini ingenita, & inſita a natura eſt, ad quid aliud cõmouet, quam ad conſenſionem, & animorum conglutinationem? ad unum inquam eundemq; cultum. Mens, artes non tam ſui, quam aliorũ causa excogitat: perturbationes & præferuidos animi motus, ne inde aliqua oriatur diſcordia, cohibet. Memoria, beneficiorum acceptorum recordatur, vt grati, carique ſimus omnibus. Sermo, ſolius concordiæ cauſa eſt datus: ut cõciliemus diſsidentes, ut animi ſenſus ad concordiam retinendam aperiamus, & vt docti ſcribunt, ſermo homines in unum cętum, ſocietatemq; cõgregauit. Vultus, in quo tacita quædam & minime fraudolenta apparet locutio, ſuo modo quæ in corde latent demonſtrat, & placabilitatem oſtendit. Tota corporis conſtitutio ad placationem & æquabilitatem hominem factum eſſe indicat, cum natura eum mollem, inermem, ſine unguibus, dentibus, cornibus, ſpiculis, ueneno & corio finxerit. Lacrymæ, ad ſubſidium, & ad miſerationem excitãdam datæ, naturam mitem & quietam oſtendunt. Riſus, quid aliud eſt, quam manſuetudinis, & lenitatis indicium? & ἀγέλαστοι, ideſt non ridẽtes duri & inflexibiles eſſe cenſentur. Imbecillitas uero & impotentia, quæ in homine cernuntur, quid aliud

Religio. Mens. Memoria. Sermo. Cic. libro de Inu. Vultus. Corporis conditio. Lacrymæ. Riſus. Imbecillitas.

clamant niſi pacem,& concordiam, cum alieno auxilio ſe egere uideant? Cætera animalia naſcuntur ueſtita,ubi nata ſunt, cibum ex ſe ſumunt, mouentur, cæteraſq; ſuas functiones exercent: homo uero alieno cibo indiget, ſe mouere nequit, ſolum flere, & eiulare poteſt;ut intelligat, ſe alieno beneficio habere uitam,& ut memor ortus ſui, nihil arroganter agat, ſed cum pace & conſenſione uiuat. Vbi autẽ adoleuerit, quomodo ſine aliena ope ſe ſuſtentabit? leui febricula labitur, quæ ad uitam traducendam ſunt neceſſaria ſibi ſolus comparare nequit, & quo plura poſſidet,eo pluribus eget. Ad hanc concordiam retinendam prouidens natura, ſeu auctor naturæ Deus,uarias regiones abũdare, vel carere diuerſis rebus ad uitam neceſſariis uoluit, ut ſicut unum membrum in corpore auxilio alterius eget,ita in hac humana repub. & hoc toto quaſi orbis terrarum corpore,unus populus alterius populi præſidio indigeret,ac propterea in conſenſione, & pace omnes nationes uiuerent. Et quoniam ex ijſdem locis,quibus uituperata fuit diſcordia laudes concordiæ & pacis deſumi poſſunt, hæc de laudibus commoditatibuſque pacis dixiſſe ſufficiat.

Neceſſitas.

Cum igitur tot tantaq; ſint diſcordiæ diſpendia,& concordiæ compendia, Eia Chriſtiani, & fratres ex iiſdem parentibus nati,in eadem domo conſtituti,eodem pane alti, eodem ſanguine poti, eadẽ fide fulti, eadem ſpe erecti,

Hortatio ad pacem.

ea-

eadem caritate copulati, eadem ſubſtantia locupletati, eadem dignitate donati, ad eãdemque beatitudinem facti, retinete cõcordiam, cõſeruate pacem, quę diuinitatem ęmulatur, tranquillitatem affert, mẽtem exhilarat, bella compeſcit, diſcordias ſedat, inimicos conciliat, irarum flammas extinguit, res omnes gignit atque conſeruat, rerum omnium copiam importat, virtutes & ſtudia omnia alit, hominem Deo ſimilem efficit, cuius deniq; tanta eſt uis, atque ſuauitas, ut merito apoſtolus dixerit, omnem exuperare ſenſum. En igitur, quam bonum, & quam iucundum fratres habitare in vnum. Hic dominus dabit benedictionem & uitã ſempiternã.

Phil.4.
Rich. de S Victor. in pſal.4.
Pſ.132.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Laus Deo, & beatæ Virgini Annunciatæ.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

A Delphos,quid ſignificet. 7
Adulator,amicus, inimicus. 90
Adulatores quantum noceant. 45
Adulator bellua crudelis. 46
Aequalitas ſtatum,inæqualitas motum parit. 27
Amare feliciſſimum eſt. 76
Amandi qui ſint. 92
Amicitiæ origo. 13
Amicitia inter quos firma. 15
Amicorum Dei excellentia. 21
Amicorum omnia communia. 25
Amici,Regum ſceptrum. 54
Amici uitia corrigenda. 97
Amicos Dei habere amicos expedit 21
Amor fraternus magnus. 5
Amor verus exæquat omnia. 30
Amor proprius,nos decipit. 67
Amor maior vbi,ibi magna patientia. 85
Amor fratrum qualis. 85
Amor cur nudus,& puer depictus. 92
Amor debet eſſe mutuus. 92
Amor ſui vituperatus. 56
Amorem fraternum alij amores imitantur. 10
Amoris fraterni laus. 9
Amoris fraterni magnitudo 5
Amoris ſui deſcriptio. 56
Amoris fraterni exempla. 10.58.79
Amoris vis. 77
Amoris magnes amor. 85
Amoris cauſa,ſimilitudo 49
Aſſentatores euertunt regna. 45
Aſſentatores fugiendi. 45

Aua-

Auaritia quid. 52
Auaritia vituperata. 53
Auaritia metropolis omnium malorum. 53
Aurum index hominum. 53

B

Beatitudo cœleſtis conſiſtit in pace. 126
Beneficentia hominem maxime decet. 24
Beneficiorum exprobratio uituperata. 25
Bellum quæ damna pariat. 118.119.&c.
Bona opera pendent a gratĩa. 20
Boni pauci. 65
Boni ſunt odio malis. 22
Bona alijs communicanda. 37
Bona fortunæ non magnifacienda. 25
Bona mens, melior ſcientia. 35
Bona fratris non occupanda. 60

C

Calumniatori non cito credendum. 47
Cardami natura. 60
Caritatis perfectio. 42
Chriſtus rex pacificus. 127
Chriſtus frater noſter. 7
Chriſti tituli qui. 106
Chriſtus pacificator. 106
Chriſtiani munus quod. 2
Chriſtiani fratres dicti. 16
Chriſtianorum caritas 6.7
Ciconiæ naturæ quæ. 64
Ciuitatis felicitas, pax. 131
Ciuitatis etymon. 131
Clericorum bona expilantur ab affinibus. 61
Clerici non ſint ſoliciti de rebus externis. 61
Clericorum corona quid ſignificet. 61
Concordia imago patriæ cęleſtis. 1
Concordia fraterna placet Deo. 3
Concordia fraterna ſuauis. 9
Concordia de fraterna qui ſcripſerint. 3
Concordia fraterna continet omnia bona. 84

Con-

Contemni vult nemo. 42
Contumelia ubi ſit. 31
Correctio fraterna qualis. 97
Correctio quomodo facienda. 98
Cur inter fratres oriantur diſcordiç. 12

D

DEi amor erga nos. 6
Dei dona varia. 19
Dei opera non damnanda. 19.39
Dei opera qualia. 38
Deus humiles exaltat, ſuperbos deprimit. 35
Deus beneficia confert iuſtorum cauſa. 21
Dæmon diſcordiæ ſator. 1
Dæmon æmulus Dei. 2
Dæmon caritatem extinguere ſtudet. 42
Deſpicere infirmos, & infimos Deo diſplicet. 39
Deſpicatio non facile fertur. 41.42
Detractio uituperata. 22
Diſcordia imago inferni. 1
Diſcordia fratrum perturbat remp. 2
Diſcordia quale uitium. 10
Diſcordia fraterna quibus modis tollatur. 27
Diſcordia fratrum damnata. 65
Diſcordia quibus noceat. 116
Diſcordia nocet omnibus bonis. 123. 124
Diſcordia tollit animi tranquillitatem. 122
Diſcordia maior ubi naſcatur. 12
Diſcordia cur oriatur ex diuiſione patrimonij. 59
Diſcordiæ fraternç exempla. 11
Diſcordiæ fraternæ unde oriantur. 12.13
Diſcordiarum fraternarum origines. 14
Diſcordiæ fraternæ prima cauſa. 16
Diſcordiæ fraternæ alia cauſa. 18
Diſcordiæ paruæ reſecandæ. 87
Diſcordiæ fraternæ alia cauſa. 20.26
Diſcordiæ exemplum. 123
Diſcordes conciliare nequeunt. 75
Diſcordia fraterna diſplicet parentibus. 72
Diſcordiæ ſatores quales ſint. 113

Di-

Diſcordię damna. 116.117.&c.
Diſcordiæ vituperatio. 114
Diſcordiæ deſcriptio. 114.121
Diſcordiæ fraternæ alia cauſa. 43.44.49
Diſcordiæ cauſa meum & tuum. 53
Diſſimiles oderunt ſe. 15
Diuinitas quid. 126

E

ECcleſia eſt corpus Chriſti. 107
Eccleſiæ bonis non abutendum. 61
Exempla quibus demonſtratur quantum poſſit diſcordia fraterna. 88
Exempla fraternæ diſcordiæ. 58
Exempla auaritiæ in diuidendo patrimonio. 58
Exprobratio beneficij odioſa. 25

F

FAma,& gloria vera quæ. 26
Fama ſeruanda. 73
Felicitas ſubiecta inuidiæ. 23
Filij parentum facta non debent damnare. 43
Fęmina mobilis. 102
Fœmina appetit vindictam. 47
Fœmina rarò bona. 101
Fœmina malum. 47
Fęminarum maledicta non ſunt audienda. 48
Fortunæ bona parui facienda. 36
Fortunæ bona non verè bona. 25
Fortis viri munus. 112
Frater,vox ſuauis. 8
Frater gloriari poteſt, de bonis fratris. 28
Frater cur fratrem odiſſe non debet. 71
Frater,parentes erga fratrem iratos mulciat. 99
Frater minor maiori obediat. 26
Frater poſſeſſio optima. 57
Frater, parentes fratri conciliet. 99
Frater, fratris filios inſtituat. 103
Frater non deſpiciendus. 41
Frater pluri faciendus, quam diuitiæ. 57.58
Frater malus quomodo ferendus. 67.68.69

Frater

Frater poſſeſsio feraciſsima. 37
Frater malus qua ratione tollerandus. 64
Frater malus ni corrigatur quid agendum. 70
Frater qualis eſſe debeat erga fratrem. 34
Fratrem bonum non diligere quam turpe ſit. 21
Fratri detrahere quam ſit turpe. 22
Fratres ex ſanguine. 8
Frater cur ſe odiſſe ſoleant. 12
Fratres inter, cur oriatur diſcordiæ. 12
Fratres in quibus ſint ſimiles. 15
Fratres cur ſe amare debeant. 77.78.79
Fratres an ſimilia ſtudia ſequi debeant. 93.94
Fratres ſpurij non contemnendi. 40
Fratres debent vna viuere. 54
Fratres corrigendi. 65.97
Fratres qui non amant, quibus ſimiles. 77
Fratris nomen varie acceptum. 6
Fratris emendatio non deſperanda. 69
Fratris etymologia. 7
Fratris nomen dulce. 9
Fratris bona non occupanda. 69
Fratri ſubueniendum. 64
Fratrum diſcordiæ vnde oriantur. 12.13
Fratrum odium cur magnum. 12
Fratrem infirmum deſpicere non licet. 38
Fratribus expedit ſimul manere. 54
Fraternus amor Idea aliorum amorum. 6
Fratrerni amoris exemplum. 9.78.79
Fraterna beneuolentia quanta. 9
De Fraterna correctione. 96.97
Fraterna concordia quantum valeat. 54.55
Fraternæ diſcordiæ perturbant remp. 2
Fraternæ concordiæ utilitates quæ. 82.83.&c.
Fraterna beneuolentia, quomodo concilianda. 67

G

Gloria uana non quærenda. 26
Gloria non capienda de bonis à natura acceptis. 31
Gratia Dei neceſſaria. 20.33

Homo

H

Homo planta urbana. 86
Homo factus ad concordiam. 132
Homines ſuperbi. 14
Homines ſunt ollæ. 32
Homines aliquo naturæ uitio laborantes non deſpiciendi. 31
Hominis excellentia quanta. 40
Hominis uita qualis eſſe debeat. 24
Hominis conditio. 32
Hominum natura quæ. 64
Hominum excellentium conditio. 31
Hortatio ad pacem. 135
Humani corporis conditio. 133
Humanæ naturæ conditio. 32
Humilitas placet Deo. 36

I

Indorum mos. 132
Inæqualitas diſſidij cauſa. 14
Inæquales inter ſe oderunt. 15
Inæqualitas neceſſaria in mundo. 16
Inæqualitas motum parit. 27
Ingenij magnitudo ſuſpecta. 33
Ingratitudo fugienda. 74
Inuidia, vnde dicta. 16
Inuidia quid. 16
Inuidia damnata. 17
Inuidia amicitiæ nocet. 17
Inuidiæ deteſtatio. 23
Inuidię effectus. 23
Inuidiæ uituperatio. 29
Inuidiæ cibus. 23
Inuidiæ deſcriptio. 29
Ioann. Paulus Lanoellotus laudatur. 4
Iuliæ oratio ad filios qui imperium diuiſerant. 55
Iuſtitia concordiæ uinculum. 57

L

Lex quædam Corinthiorum. 14
Lex quædam Athenienſium. 15

Ma-

M

MAiores honorandi. 26
Mali bonos oderant. 22
Mali aliquid boni poſſunt. 66
Maledici reijciendi a fratribus. 90
Matres ſunt cauſa diſcordiæ filiorum. 49
Matres debent lactare filios. 50.51
Matres non lactantes filios uituperantur. 50
Mercurij virga qualis. 63
Meuum & tuum cauſa diſcordiæ. 53
Mores conſuetudine probantur. 15
Mundus Mercatus quidam. 32
Mundus rebus inæqualibus conſtare debet. 16
Mulier mala quid poſſit. 102

N

NAtura inimicitiam refugit. 17
Nemo eſt tam infirmus, quin aliquid poſſit. 89
Nemo ſine gratia Dei poteſt ſaluari. 34
Nobiles uituperati. 111
Nobilitati quantum tribuatur a rep. 110
Nobilium eſt pacificare. 109
Nurum natura. 100
Nutrices pueros deprauant. 49
Nutrimenti diuerſitas mores mutat. 50

O

ODium fraternum turpiſſimum. 71
Odium paternum cur magnum. 12
Odij faterni turpitudo vnde cognoſcatur. 71.72
Odiſſe infeliciſſimum eſt. 76
Odium fraternum diſplicet parentibus. 72
Opera ſine gratia imperfecta. 33
Optimi viri partes quæ. 4

P

Pacis deſcriptio. 128
Pacis laudes. 125
Pacis vtilitates. 114.115
Pacem qui laudauerint. 125
Pacem qui non amat, non poteſt eſſe hæres cęli. 127
Pacificatores beati. 104

Pa-

Pacificator eſt veluti quidam Deus. 105
Pacificatorium munus præſtantiſſimum eſſe demonſtratur. 105.106.& ſequent.
Patientia læſa fit furor. 12
Patientia antidotum vitæ. 63
Patientia neceſſaria. 67
Parentes filios contemnere non debent. 44
Parentum officium erga filios. 44
Parentes quando poſſint magis vnum filium, quam alium amare. 44
Parētes ſunt interdū cauſa diſſenſionis fraternæ. 43.44
Patrimonij diuiſio damnata. 54
Patrimonium quomodo diuidendum. 57.58
Pax & concordia vrbium dominę. 126
Pax ſymbolum Chriſtianorum. 128
Pax, omnia fecit. 129
Pax conſeruat omnes virtutes in ciuitate. 130
Pax quomodo picta ab antiquis. 132
Pax quanta, tempore, quo Chriſtus natus eſt. 127
Pecunia, eſt ſanguinis hominis. 53
Præcepta ad conſeruandam concordiam fraternam multum vtilia. 87.88.89
Præcepta ſeruanda in diuiſione patrimonij. 57.58.59
Proſper Podianus laudatus. 5.
Prouerbia varia. 8.14.15.24.45
Pueri iocoſi, & melliti. 51
Pulchritudo ex rerum varietate conſtat. 16
Pulchra cum labore habentur. 24

Q

QVid agendum ni frater emendetur. 70
Qui inter ſe vehementer amauerint. 7
Quid fratres multum inter ſe amauerint. 79
Qui pro patria vitam profuderint. 100
Qui pacem laudauerint. 125
Qui pace vtitur, vitam quandam diuinam degit. 126
Quarundam ciuitatum mala conſuetudo. 18

R

RES omnes duas habent anſas, quibus capi poſſunt. 62

Re

Regium eſt pacific[illegible]. 108
Rebus omnibus no[illegible] diſcordia. 124
Res omnes a pace factæ. 129

S

SCientia ſine virtute non prodeſt. 35
Similium, ſimiles mores. 93
Similes, ſimiles non oderunt. 64
Similium natura quæ. 64
Simile amat ſimile. 7.14
Simile ad demonſtrandum quantum concordia fraterna valeat. 55
Sylueſtrium plantarum natura. 86
Sorores non contemnendæ. 41
Sororum officium. 41
Superbia quorum ſit propria. 31
Superbia ad inuidiam prouocat. 31
Superbia iram Dei prouocat. 35
Superbiam quid poſſit comprimere. 41
Suſurrrones damnati. 90
Suſurrones fugiendi. 46

T

TImon, hominum oſor. 28
Timonis epitaphium. 28
Tituli principis pacifici. 109
Tui charum principes fratrum interfectores. 11

V

VEnus quomodo picta ab antiquis. 51
Virga Mercurij omnia in aurum conuertebat. 63
Viri præſtantes vtiles reip. 18
Virtute, nil amabilius. 91
Virtus omnibus bonis externis præponderat. 36
Vtilitas in amando non ſpectanda. 91
Vxor qualis ducenda a fratre. 102
Vxor mala quid poſſit. 102

F I N I S.

BIBLIOTECA ... ROMA